VITT. EMANUE

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
16 D
8

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

12
16
C
33

74
C
51


74.5.46

# FRANCISCI COVRCELLII AMBIANI D. MEDICI

## De vera mittendi ſanguinis ratione in hæmato-thraſcas

## LIBER

*Quatuor ſectionibus explicatus.*



FRANCOFVRTI
Apud hæredes Andreæ Wecheli Clau-dium Marnium & Io. Aubrium.
CIↃ IↃ XCIII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

# HENRICO TVRREO BVLLIONIO,

*DVCI ILLVSTRISSIMO Franciæ Mareſchallo, apud Sedanos, Iametas & Racurſios, Principi ſummo, Comiti Vrin[illegible], Monfortio, Vicecomiti Tureneo, &c.*

FRANCISCVS COVRCELLIVS AMBIANVS. S.

NON immerito Viri docti, dum ſuos labores ad vtilitatem publicam referunt, & de librorum ſuorum editione ſunt ſoliciti, ad quoſdam opibus & pietate inſignes heroas cõfugiunt, in quorum præſidio & tutela, ſi aduerſariorum telis appetãtur, lateant. Ea enim in bonos vulgi peruerſitas ſemper fuit, vt quibus cum res erãt

minus ſecundæ, fœlicia precabatur iiſdẽ e tenebris emergentibus inuideret, quos iuuabat humiles, quos obſcuros amabat, eoſdem ſeu corporis ſeu animi dotibus auctos nõ ferret. Hæc ſi tantis viris ad potentes perfugia, idcirco neceſſaria fuiſſe certum eſt, quæ homuncionibus nobis euentura incommoda, ſperamus, ſi eadem quæ illi multo licet inferiora audeamus. Si grauia doctorum & varia eruditione plena & referta ſcripta deterrere maleuolos nõ potuerunt, quo in illos quos reuereri & colere debuerant, inſurgerent minus: quid noſtra, quę pro horum ſplendore nulla ſunt, calũniatorum inuidia liberabit? Eiuſmodi omnium fere ætatum corruptio ſi fuerit, quam poſtremi huius & ſeneſcentis mundi futuram credimus?

dimus? in quo vel ipſam caritatm deſuturam ex ſanctis oraculis noui mus. Hæc dum mecum reputo & propterea de parando aliquo in calamitate ſubſidio, & perfugio ſalutis cogito, tu mihi peropportune occurris Princeps Illuſtriſſime, cui hoc quantulumcumq; eſt opuſculum offeram. Sperans futurum vt quem hactenus, cuiusq; familiam totam, maiores tui contra omnes, iniuriarum publicarum impetus tutati ſunt, eundem a calumniatorum iniuriis & probris vindicare non recuſes. Neq; enim is es, qui eos, qui ſe exiſtimationemque ſuam tuæ fidei committunt, ſuperbe & arroganter faſtidias. Nam quæ tua ſumma eſt, in omnes bonos humanitas, morumq; ſuauitas, nullus eſt, eorum præſertim, quibus a pueris

notus es, qui quemquam ad te cõfugientem viderit, cui vel vltro te non obtuleris obuiam, cuiusq; labores non ſubleuaris: ſummæ & humanitatis, & amicitiæ in tuos argumentum. Hac ſi beneuolentia me complectaris, qua reliquos ſoles, gratumq; tibi eſſe, & me & hoc, ꝙ tibi dico, munuſculum intellexero, animum meum alioqui remiſſum & iacentem excitabis, efficiesq;, vt noſter de viſibus libellus ſub fide & clientela tua breui, in publicum prodire, huicq; noſtro comitem ſe, & ſocium adiungere audeat.

Vale, Datum Sedani Calendis Iulii anno 1593.

## AD FRANC. COVRCELlium medicum, Eruditiſſimum

### ENDECASTICON CARMEN.

*PRæclara Hippocrates, dixiſti tuq; Galene:*
*Aſclepii tradens pharmaca Pergamei.*
*Illa tamen medicis fuerant incognita multis,*
*Cum doctis tantum peruia nempe forent.*
*Sed tu Ferneli noſtris lux clara fuiſti,*
*Scriptis namq; tuis plurima nota facis.*
*Reddens quæ pridem Francis obſcura fuere,*
*Non medicis ſolum, clara ſed & populo,*
*Tu qui ſcire cupis ſanguis quamnã incolat ar-*
*Quodq; ſibi iniunctũ munus obire ſolet, (cẽ*
*Si quid demendum repleto ex corpore, ne quis*
*Error te inuoluat, hoc lege lector opus,*
*Quod veros aperit ſenſus moderamine certo,*
*Et methodo facili, peruia multa facit.*
*Affectus qui ſint hominis, quibus ille vagetur*
*Fluctibus, hæc cupido præbet aperta tibi.*
*Omnibus eſt ergo inſignis liber iſte legendus,*
*Qui breuiter morbos quoſq; fugare docet.*
*Hic etenim nobis Courcellus iatrica pangit,*
*Omnibus vt tandem, myſtica nota forent.*
*Perlege quæ in lucem profert Chyronis alũnus,*
*Laudibus hic omni tempore dignus erit.*

IOANNES HENNEGVI-
nus Iuris vtriuſque Doctor.

## AD FRANCIS. COVRCEL-
## lium eruditum medicum, amicum
## cariſſimum.

*Corpora viua fouet ſãguis, cũ ſãguine vita,*
*Cum vita ſanguis funditur atq; perit.*
*Sæpe tamen reddi fundendo ſanguine vitam,*
*Multos, qua tuto fiat id arte, latet.*
*Ne lateat poſthac Courcelli, hoc vtile multis*
*Eſt opis atq; operæ munus amice tuæ.*

## Ad eundem.

*Martis ſit impio furore perciti*
*Vi fundere humanũ ferina ſanguinem.*
*Sed ſanguinem fundere ſalutis gratia,*
*Piæ ſit artis & manus amabilis,*
*Prudentiæ ſummæ ſit & ſcientiæ.*
*Humanitatis eſt tueri ſedulo,*
*Feritatis eſt perdere brutæ humanum genus.*
*Sed dira Martem excuſat vt neceſſitas,*
*Sic error artis eſt inexcuſabilis.*
*Franciſce, cum multis amicis gratulor,*
*Et gratias ago tibi quam maximas*
*Labore qui felici id aſſecutus es,*

*Poſt-*

*Poſthac ſecanda in vena vt auſit tutius*
*Medici erudita mens manusq; induſtria.*
*Quantum ex eo tu conſequaris gloriæ,*
*Hinc docte Curcelli, omnibus facile patet,*
*Quod caritatis ſummæ, & maximæ artis eſt,*
*Sarcire Martis damna, quæ iam tanta ſunt,*

Dan. Taſinus Torſeus.

## AD FRANCISCVM COVRcellium, Medicum eruditiſſimum.

*FRancia dũ proprio permiſcet cũcta cruore,*
*Ipſa ſua, infandum, dilacerata manu,*
*Dumq; man⁹ Medicas armis adhibere laborãt,*
*Sectantur regis, qui pia caſtra ſui:*
*En tibi Pergameis Coisq; educta medullis*
*Courcellus docte, dogmata docta canit,*
*Quîs caute inſignẽ mittendi ſanguinis artem*
*Diſcas (: Aſclepii nobile iuris opus:)*
*Vt te (: ſi tandem reſpectent numina:) France*
*Exanimiq; tibi reſtituant animam,*
*Mollius & melius curari exſanguia poſſint*
*Membra tibi, & vitæ munera longa dari,*
*Hũc tibi quamprimũ dent hui⁹ muneris vſum*
*Courcelle, & famam numina conſpicuam.*

## Tetraſticon Carmen eiuſdem.

*V*ITA *Theſaurus, fomes & ſcaturigo vocari,*
*Iure bonus ſanguis, vita vel ipſa poteſt.*
*Qui diſpenſandi rite tibi muneris artem*
*Tradit, Theſaurum nonne dat egregium?*

Iacobus Capellus.

# DE LEGITIMA MITTENDI SANGVINIS RATIONE IN HÆmathraſcas liber quatuor ſectionibus explicatus.

## PRÆFATIO.

NVLLVS, opinor, iniquum putabit, ſi, dum publicæ vtilitati & commodis conſultũ volo, pernicioſo huic de temeraria & inconſiderata ſanguinis detractione errori, quæ de legitima mittendi eius ratione apud bonos auctores leguntur, opponam: & quæ latius ab eis ea de re explicantur, in pauca conferam. Verum ante quam vltra progrediar, ne quis ex huius concertationis lectione multo plura expectet, quam eſt fortaſſe cõſecuturus, velim ſic exiſtimet, me non inſtituiſſe in animo ſingulatim attingere & perſequi omnia, quæ ad hanc doctrinam de legitima ſanguinis miſſione pertinent (: ſubirem enim fortaſſe onus meis viribus maius, & docte ab aliis tradita in-

utiliter repeterem. ( Sed hãc huiuſce tra-ctandi argumenti, prouinciam quod ſuſcipio, facio in eum potiſſimum finem, vt, ſi fas eſt, errore liberentur ii, qui curationum fere omnium ſummam in venæ ſectione conſtituunt: aut certe, vt debilitata & aliquantulum repreſſa eorum auctoritate, non ita multi poſthac reperiantur, qui in ægrotorum perniciem ipſorũ erroribus aſſentiri velint. Neque enim hic de re minimi momenti & nihili agitur. Nam vt opportuna ſanguinis miſſio valde iuuat ægrotantes, ſic importuna, id eſt, quæ vltra aut citra modum ſubſtiterit, aut ſuo nec tempore nec loco facta fuerit, plerunq; ſola immaturæ ipſorum mortis cauſa eſſe ſolet. Multorum morborum interiores cauſas in venis contineri fatentur quidem illi: harum autem complexu vt cacochymia contineatur, nõ ſatis intelligere ſe parum verecunde profitentur. Hanc enim etſi in aliis corporis partibus ineſſe concedant, ſanguineis tamen vaſis coerceri poſſe negant. Ita ſcilicet facilius ſe, quod de vitioſi ſanguinis correctione conſequuntur, aſſe-

cuturos

cuturos putant. Siquidem contra doctrinam Hippocratis & Galeni pro principio tenent, ſanguinẽ vnum & ſimplex quiddam eſſe: pituitam atque adeo alios humores, omnium conſenſu ſanguineam maſſam cum puro ſanguine conſtituentes, neſcio quo errore inter excrementitios collocant. Hoc poſito non ſatis firmo fundamento, multa inde falſa ſuperſtruunt: ſanguineis vitiis non poſſe commodius obſiſti, quam ſectione venæ: purgationes autem ad hanc rem adiumenti nihil afferre poſſe: medicamenta non eſſe facultate ea, ſanguinem e venis vt queant detrahere. Quod ſi quando id contingat, fieri aiunt duabus, ſed pernicioſis & non ferendis rationibus. Quarum prima ſit in hypercatharſi, in qua primo humor medicamento quadam ſubſtantiæ familiaritate affinis, fluidior, inde tenuior, poſtremo ſanguis miſere educitur. Altera in eorum medicamentorum delectu, quæ non primo humores alios, ſed ſtatim initio ſanguinem ducãt, de quibus Galenus libro de purgantium medicamentorum facultatibus, quæ, in-

quit, non purgant, imo iugulant potius, ęgros, dum ſanguine ſpoliant. Siquidem, vt ait paulo poſt, purgantia debent dici ea, quæ repurgant ſanguinem a recremẽtis, non quæ ſanguinem per venas ventris & inteſtinorum moliuntur, cuiuſmodi poſſunt eſſe lathyris, ſabina, & cætera eiuſmodi, quę ſanguinem per vrinas mouent. At quoniam vſum eiuſmodi medicamentorum nemo ſanæ mentis homo approbauerit: qua autem alia via expurgari poſſit ſanguis neſcientes, ad venæ ſectionem confugiunt. Neque enim humores cum ſanguine confundi putant, quos, ſi contra naturam eſſe cœperint, oporteat e venis detrahere, ne illorum cõtagione reliqua maſſa inficiatur. Pituitam enim, melancholiam & bilem etſi non aperte, at re ipſa in venis eſſe negant. Docent autem pituitam in ventriculo, cerebro, & inteſtinis potiſſimum ſedem habere, melancholiam in liene, bilem in ſuo folliculo conditam eſſe: totamque ab ipſis profectam colluuiem circa meſenterium, & pancreas eſſe locatam. Deniq; de humoribus ſanguineis idem ſentiunt

quod

quod eruditi medici de excrementitiis. Proinde quando apud Hippocratem & Galenum legunt, propinatum pharmacum in hypercatharſi, maiore quam opus eſt & quantitate & vi exhibitum, primum, quod ſibi familiare & conueniens fuerit, inde alios humores, prout fuerint ad fluendum habiles, poſtremo ſanguinem ipſum purum attrahere, ſic intelligunt hæc ſuperpurgantia, vt ita dicam, medicamenta non vno ex loco, nempe non e venis ſolum, naturæ ſuæ cognatos & affines humores educere: ſed partem etiam ex inteſtinis, ventriculo, hypochōdriis, liene, fellis folliculo, pancreate, & reliquis eiuſmodi partibus: inde venas, quibus præterea valent viribus, adoriri, e quibus magna vi & conatu etiam purum ſanguinem deturbant. Quæ quam abſurda ſit opinio, quam etiam debilibus ſe in omnibus ſuſtentet & nitatur fundamentis, videndum. Cæterum quoniam ſuſcepta ea de re diſputatio bene intelligi non poteſt, niſi, quæ ad hanc pertinent, quædam ſimul cum ea explicentur, & a principio repetantur. Dicendum videtur pri-

mo, quid ſanguis, & quæ eius cauſæ, quid plethora, quid cacochymia, & quæ eius in corpore ſedes, vbi etiam de hypercatharſi nonnihil. Item quot medicamentorum generibus cacochymia purgetur: quomodo venas cacochymia occupet, & venarum ſucci fiant excrementitii. Secundo an cacochymia, quæ in venis fuerit, miſſione ſanguinis ſit potius, quam purgatiône euacuanda, & num aliquando liceat in cacochymia mittere ſanguinem: atque quis ſit tum in plethora, tum in cacochymia miſſionis ſanguinis modus. Tertio quis ſanguis minori cum periculo, & commodo maiori detrahatur e venis, purus ne, an impurus. Poſtremo quæ cognitionis doctrinæ huius vtilitas, & quam pernicioſa eius ignoratio: vnde ſequatur, ea, quæ ad illius cognitionem pertinent, ſummo ſtudio eſſe inueſtiganda.

DE

# DE SANGVINE, PLETHORA, CACOCHYMIA, & hypercatharſi,

## SECTIO PRIMA.

### *Quid ſit ſanguis, & quod non ſit vniuſmodi, & ſimplex.*

### Cap. I.

PLERIQVE dum ſanguinis vocem audiunt, nihil concipiunt animo aliud, quam humidum, & ſimplicem e chylo liquorem, in hepate, & venis ruborem adeptũ. *Sed medicorum longe* alia ratio eſt, qui ſanguinem *non cenſent* exquiſite vnum, & ſimplex quiddam, ſed ex variis ſubſtantiis conſtituunt id, quod omnium conſenſu ſanguis dicitur. Sunt enim ſucci quatuor, quibus ſanguinea maſſa componitur. *Primus*, ſanguis purus eſt, *pituitoſus* ordine ſecundus: ſequitur inde melancholicus, *quarto biliosus*, non quod ſucci illi, impermixti in venis propria in ſede

*Sanguis cõſtat ex quatuor ſuccis. Gal lib 2. de clem. & lib. 8. de placi. Hipp. & Platonis. & de purga. medi. facultat. Itẽ de plenitu 1. ſanguineus. 2 pituitoſus. 3. melancholicus. 4. bilioſus.*

remaneant, ea enim permiſtione concreſcunt & confunduntur in ſeſe, dum perſiſtit puritas, vt non, re ipſa, cogitatione tantùm, diſcerni poſſint. Quod autem primus ſecundum, ſecundus tertium, hic autem poſtremum præcedit, fit doctrinę gratia, vt hoc ordine intelligamus, in homine ſano & bene temperato, plus eſſe puri ſanguinis, quam pituitoſi, plus huius quam melancholici, plus melancholici quam bilioſi. Hac enim proportione ſanorum humores in venis continentur: qui dum omnes ſuam ſymmetriam tuentur, & ea in vaſis ſunt menſura, naturales dicuntur. *Porro ea pars in ſanguine*, quæ, & ſubſtantia, & qualitate eſt moderata, ſanguinis puri nomen obtinet. Totius autem *ſanguinis pars crudior*, frigidior, & humidior, pituita eſt, quæ & ſanguis ex dimidia tantum parte coctus appellari poteſt. Hoc ſanguine, corporis partes quod ſibi proprium, & familiare eſt attrahentes, frigidiores & humidiores quæ ſunt, nutriuntur, cuiuſmodi eſt cerebrum. In ſanguinis autem penuria, natura hoc, tanquam ſibi ad vſus recondito, humore,

*Quid ſuccus ſanguineus.*

*Quid pituitoſus.*

cruditate, inedia, & cõcoctione emendata vtitur. Melancholicus ſuccus, craſſior eſt ſanguinis portio, frigida & ſicca, quẽ, melancholicum ſanguinem alii appellant. Bilis autem ſanguinis pars eſt tenuior & calidior, tum vt naturæ ſuæ affines partes nutriat, tum vt craſſioris ſanguinis per venas diſtributionem iuuet. Quatuor iſta, ea qua diximus proportione in venis, ſanguineam molem alendo corpori idoneam conſtituunt.

*Quid melãcholicus ſuccus.*

*Quid bilioſus.*

*De cauſis ſanguinis.*

Cap. 2.

SAnguinis cauſas tres hic agnoſcimus, vnam materialem, efficientes duas. Materialis cauſa ſanguinis nihil aliud eſt, quam quod in ventriculum ad nutritionem corporis ingeritur, a quo & humores ipſi & corpus, tanquam iugi de fonte, ſibi ſimile aliquid hauriant, vnde, quod in ſui nutritionem conſumtum eſt, id reſtituant. Hic enim accidit, quod in plãtis, & e terra naſcentibus ſtirpibus vſu venire ſolet, vt ſimilis plantarum & ſeminum humor, ſimilem e terra, cui deman-

*Tres ſanguinis cauſæ.*

*1. Materialis.*

*Efficientes cauſæ 2.* *1. Natiuus calor. 2. Caro iecoris.* data ea ſunt, humorem proliciat. Sanguinis efficientes cauſæ ſunt natiuus calor atque ipſa iecoris caro, quam Græci παρέγχυμα vocant, quæ caro, eadem prope ratione & facultate hæmatoſeos cauſa eſt, qua mammarum glandulæ lactis, & teſtes ſeminis, dum ſenſim admotam materiam, in propriam naturam commutare, & ſibi aſſimilare tentant. Duabus ergo iſtis efficientibus cauſis ad cauſam materialem accedentibus, fiunt ſucci quatuor, carne quidem hepatis atque ipſo calore in materiali cauſa ſuos effectus proferente. Ex quibus intelligitur ſanguinem e ſubiecto chylo, calore, & iecoris ingenita proprietate, compleri. Itaque, quod ſanguis eſt ex quatuor ſuccis, chylus, eiuſq; ex alimentis materia, cauſa eſt: quod autem quatuor illi ſucci in chylo crudi, paulatim concoctione in *ſanguinem concreſcunt*, id naturali calori & hepatis inditæ facultati tribuēdum. Nam vt omnibus cauſis ſua laus eſt, ſic illarum diſtincta officia eſſe debent, vt non materialis cauſa ſibi aſſumat, quod eſt efficiētis, & contra efficiens, quod materiali ſoli *Gal. lib. de atra bile.*

tribui

tribui poteſt. Hippocrates libro quarto de morbis, cum atteſtatur ex cibo, & potu fieri bilem vtramque, pituitam, & ſanguinem, chylum a cibo & potu profectũ cauſam ſanguinis materialem eſſe oſtendit. Efficientem cauſam etſi non reiicit, tamẽ in illa variorum ſuccorum generatione & inſtauratione nihil poſſe ſatis indicat plantarum, & eorum, quæ de terra exiſtunt, exemplo. Plantæ, ſemina, atque ea, quæ ſuo tempore terra profert & patefacit, e terra tanquam e mammis ſugunt naturæ ſuæ ſimiles ſuccos, quibus ſi careat terra, ſtirpes cognato humore deſtitutas contabeſcere neceſſe eſt: vt nõ ſit dubium, quin hac ratione terrenos illos ſuccos, ſtirpium materialem cauſam, vnde illis formentur corpora, faciat. Calori ſeu innato, ſeu externo & ſolari, quod adoleſcant & plenam maturitatem conſequantur, vt cauſæ efficienti dari debet. Quod vina ſunt alia aliis generoſiora, & ſuauiora, nõ refert acceptum ſolo Hippocrates, ſed terræ humoribus. *Sint licet* vinearum loca valde vicina radiis ſolaribus viribus iiſdem colluſtrata: qui fit vt eius *Hipp. lib. 4. de morbis.*

loci vinum,ſit melius eo, quod ei vicinus profert locus? Reſpondet Hippocrates quia hic adeſt humor,qui vinum ſuaue exhibeat,illic non. Vnde patet diuerſa eſſe cauſarum officia: & facere efficientem cauſam vnum,aliud materialem. In vino ſolum, & ſucci,quos ex eo vinearum ſtirpes prolectant, vnum efficit, radii ſolares aliud.Et tamen cum dicimus diſtincta eſſe earum cauſarum officia, non intelligimus vnam ex iſtis ſine comitatu aliarum quidquam efficere poſſe. Oportet enim ſemina & ſtirpes, vbi terram ſubierint, non tantum ſolum, verumetiam ſolem naturæ ſuæ accommodatum habere. Quod ſi alterutro deſtituantur, & ſole conuenienti, & terra, vnde quod ſibi cognatum & affine eſt attrahant, ne germinare quidem poterunt. Qua ratione factum eſt, *ait eodem loco Hippocrates*, vt in Ionia & Peloponneſo; ſilphium ſeu laſerpitium naſci non potuerit vnquam, fuerit id licet magna multorum induſtria tentatum. Nam etſi regiones hæ, eodem quo debent ſolis ardore, & temperatione luſtrarentur, tamen deficiebat alia cauſa, nempe

*Hipp. lib. 4. de morbis.*

nempe cognatus humor, quo ſilphium ali poſſet. Quidam ſanguineorum ſuccorum cauſam, naturali calori quod aſſignant, faciunt parum conſiderate. dum enim varietatis huius rationem ad calorem natiuum, non autem ad diuerſam ciborum qualitatem referunt, euertunt profecto funditus, quod inter doctos Medicos conſtat, & ſanguinem ex pluribus ſuccis conſtare poſſe negant. Si enim calori modo intenſo, modo torpeſcenti, & ad frigidum vergenti, modo temperato, concedatur, vt, prout varius fuerit, & in hanc aut illam partem propenſus, humores ſibi affines gignat, vnus tantum in vnoquoque homine humor, in temperato purus, in calido bilioſus, vt in frigido pituitoſus & melancholicus, procreabitur. ſiquidem calor in vnoquoque homine ſimplex & vniuſmodi cum ſit, non niſi ſimplicem, & naturæ ſuæ conuenientem humorem generare poteſt. Ergo varietatis eius ratio in materiali cauſa non in efficientibus ſit oportet. Neque contra ſentit Galenus, cum libro ſecundo de naturalibus facultatibus, ſanguinem ex me-

diocri calore fieri ait, reliquos ſuccos ex immodico. Nõ enim id ita accipiendum eſt quaſi vnius hominis calor poſſit eſſe eodem momento, & mediocris & immodicus, qui pro ſua qualitate ſuccos omnes ſimul gignere in eodem homine poſſit, temperatum & intemperatos, id eſt, pituitoſos, melancholicos, & bilioſos. Sed ita intelligamus oportet, naturalem vniuſcuiuſque hominis calorem varios pro ſubiectorum ratione effectus proferre, vt quibus hominibus fuerit calor mediocris, ii ſucco ſanguineo abundent, vnde ſanguinei dicantur. Quibus calor torpeſcit ad frigiditatem declinans, ii pituitoſi aut melancholici, quibus intenſus, bilioſi temperamenti ſeu ſanguinei cenſeantur. Non quod mediocri aut immodico calore homo, vnum tantum pro ſua temperatione humorem proferat, vt, qui mediocri calore fuerit, ſanguinem, qui remiſſo pituitoſum & melancholicum, qui intenſo bilioſum tantum ſuccum gignat. Nam etſi ex temperato calore ſanguinei fiant, non ſequitur tamen ſanguineos vtraque bile & pituita carere, vt nec

pituito-

pituitoſos & bilioſos ſanguine. Sed vt pituitoſi & bilioſi habentur, in quibus bilis & pituita abundans, præ cæteris humoribus in conſpectum venit: ita ſanguinei, in quibus ſanguineus ſuccus reliquos copia vincit & ſuperat. Qui ergo temperati caloris hominem ſanguineum eſſe dicit, eundem bile omni & pituita non priuat & ſpoliat, ſed a maiori, vt aiunt parte, denominationem facit, ſanguineum nominans eum, in quo plus ſanguinis quam ſuccorum reliquorum reperiatur. Igitur Galenus cum ex mediocri calore ſãguinem fieri ait, ex immodico reliquos ſuccos: ſibi non vnum ſed multos proponit homines, quorum hic, qui temperamento eſt mediocri, ſanguineus ſit, illi qui ab hac temperatione declinant, vnus ad frigidum ſit pituitoſus & melancholicus, alter ad calidum & ſit bilioſus. Non autem de ſuccis illis, quibus ſanguinea maſſa conſtat, loquitur, qui omnes in eo homine, cuiuſcunque fuerit temperamenti, ſimul & eodem tempore inſunt: vt pituitoſus non dicatur, qui ſolo conſtet pituitoſo ſanguine, ſed qui plus eo quam

ſanguineo & billioſo abundet. Cæterum non negamus vniuſcuiuſq; hominis temperamentum magnam vim habere ad efficiẽdum, vt chylus in hunc potius quam in illum ſanguinem cõuertatur: ſicut nec regionem, anni tempus, ætatem: quæ aut omnia, aut horum quædam ſi in calidum vergant, ſanguis ex quocunque chylo factus, calidior & biliofior erit; pituitoſus vero & melancholicus humor minus erunt frigidi. Contra ſi temperamentum fuerit frigidius, ætas, anni tempus, hepar, & reliqua cum eo conſentiant, ex alimẽto quantumuis calido, ſanguis aut frigidã qualitatem obtinebit, aut certe temperatus erit. Quod eodem libro de naturalibus facultatib. docet Galenus mellis exemplo, quod ſenibus in ſanguinem conuerti dicit, iis vero qui in flore ſunt ætatis & calidiore natura, tantum in bilem mutari. Vnde patet naturalem calorem ſæpius efficere, vt, quæ partes in alimento ad bilem aut pituitatẽ generandam faciunt, nõ ſemper cognatos ſuæ naturæ humores exquiſitæ proferant: ſed ſanguinem paulo calidiorem aut frigidiorem,

quam

quam pro ciborum ingeſtorum ratione par ſit, ſæpius hac ratione exiſtere. Ergo frangit quidem & debilitat in chylo diuerſas partes temperamentum, non autem omnino immutat: ita vt ſolus humor temperamento affinis proferatur, non autem ſucci diuerſi pro chyli varii conditione in eodem homine cuiuslibet temperamenti enaſcuntur, modo pituitoſi, bilioſi & ſanguinei. Maneat igitur illud ſuccos omnes varios ab vna materiali cauſa proficiſci: quod autem in ſanguinē conuertantur, vni calori acceptum debere referri. Atque hæc de ſanguine & cauſis ſanguinis: ſequitur vt, quid plethora ſit, dicatur.

## *De Plethora & Plethoræ ſpeciebus.* Cap. 3.

SVcci, ſi ea qua diximus proportione in ſanguinea maſſa cōſiſtant, bonus proculdubio exiſtet ſanguis: contra ſi ab ea declinarint, & vnus aut plures ſuos valde limites exceſſerint, cacochymus, id eſt, mali ſucci ſanguis dicetur. Ergo ex bene temperato & venas proportione debita implente ſanguine, plenitudo fit: cum ve-

ro de ſua ſymmetria deceſſerit, etiam ſi, vt plerunque fit, venas diſtendat; cacochymię tamen potius quam plenitudinis cauſa erit. Non enim quod plerique putant, humores in cacochymia qualitate tantum peccant, ſed etiam dum immodice aggregantur, quantitate. Cum in ſua conſiſtere proportione humores Galen⁹ ſignificare vult (: quos alii proportione debita:) eos equaliter inter ſe augeri dicit: vbi vero eo ordine neglecto, in quo conſiſtere debuerunt, pituita, & bilis vtraque ſuis non tantum finibus excedant, ſed etiam corpus totum ſuo humore implent: iam nimiam illã copiam & perturbationem humorum manifeſtam, cacochymiæ auctorem facit. Sic enim libro 13. methodi, vbi æqualiter inter ſe ſucci omnes ſunt aucti, plenitudo, is affectus dicitur: vbi vel flaua bile vel nigra vel pituita vel ſeroſis humoribus refertum corpus fuerit, eum habitum cacochymiam vocamus. Cæterum hic obiter notandum eſt non quamuis pituitæ aut bilis vtriuſq; exſuperãtiam, cacochymiam Galeno eſſe, ſed immoderatam. Non enim ſatis illi

eſt vt

eſt vt pituita aut bilis in corpore abundet, ſed eo corpus refertum eſſe oportet, antequam cacochymia tentari dici poſſit. Etenim vt idem Galenus commentario in Aphoriſmum 17. lib. 2. ait, Medici ſolum hanc humorum corruptelam nominant, quæ tam magnam præter naturam mutationem ſit ſortita, vt a natura amplius vinci regique nequeat, atque in probum & vtilem ſuccum mutari. Nam ſi humoris ipſius magna facta ſit corruptio, iam ad ſui naturam redire non poteſt, parum vero a ſe ipſo ſi degenerauerit, vacuato ſuperuacaneo, qui reſtat, ſuam recuperare poteſt naturam: atque talem ſanguinis affectionem, non corruptelam, ſed plenitudinē appellare medicis moris eſt. Vnde patet non omnem vnius aut alterius humoris exſuperantiam, cacochymiam efficere, ſed eam ſolam quæ ita extra ſuos fines & terminos egreſſa fuerit, in eos reduci vt non poſſit. Quod ſi receſſus fuerit mediocris, eiuſmodi potius plenitudinis naturam quam cacochymiæ induit. Proinde, & ex hoc & pleriſque aliis locis facile licet colligere, Galenum duo plenitu-

*Plethora duplex 1. Simpliciter dicta.*

*2. Non ſimpliciter dicta, ſed cum adiectione eius humoris qui excedit.*

*Plethora ſimpliciter dicta duplex. 1. Ad vaſa.*

dinis genera approbaſſe. quod idem libro de plenitudine feciſſe videtur: vt minime mirum ſit, ſi nos quoque plenitudinem *duplicem faciamus*. Vt *prima ſimpliciter* idq; κατ' ἐξοχὴν plenitudo dicatur, in qua humores ex æquo, &, qua debent proportione augentur. *Secunda*, in qua non omnes, ſed vnus aliquis ſuccus, modice tamen, extra conſtitutos alueos excurrit. Plethora igitur ſimpliciter dicta rurſum duplex erit, quarum vna ad vaſa, altera ad vires nominetur. *Prima ergo ſimpliciter* dicta plethora ad vaſa dicitur: horum quoniam ratio in eiuſmodi plenitudine habetur. In qua, ſi exſuperantis plenitudinis copia immodica eſt, vaſorum tunicæ diſtentione prope diuelli videntur: ſin magna, mediocri ſolum tentione premuntur. Hæc licet immodice exſuperet, fieri tamen poteſt, vt vires non premat, quę ſimul cum ſanguine aut corporis mole, in athletico habitu increſcit, nihilominus tamen ſuſpecta eſſe debet. Quoniã, cum eiuſmodi ἐυεξία ad ſummum gradũ peruenerit, ex Hippocrate, in eo diu conſiſtere nequit. Si enim ſolidæ corporis par-

tes

tes humoribus ſaturatæ & expletæ, neq; ſanguinis adiectionem, agglutinationem & aſſimilationem admittant, & venæ diſtentæ non habeant in quo diſtribui cœptum alimentum recipiant: periculum eſt, vt aut vas aliquod diſtentum dehiſcat, aut oborta obſtructio continua plenitudine natiuum calorem reſtinguat. *Altera ſimpliciter* dicta plethora, eſt ad vires, in qua tametſi humores copia non excedāt, plus tamē venę ſanguinis cōtinent, quam vt poſſit naturæ viribus regi. De venarum autem diductione & diſruptione, hic nullum periculum eſt, neque etiam de caloris ab obſtructione ſuffocatione: quoniā tamen vires quacunque de cauſa debilitatas premit, ne hæc quidem etiam valde tuta. *Secundum* plethoræ genus, eiuſmodi ſimpliciter dici non poteſt, ſed cum eius humoris adiectione, qui extra ſuos fines moderate egreditur. Quia ſi humor aliquis auctus, parum tamen a ſua proportione receſſerit, plenitudinem vtiq; effecerit, ſed eam, non vt prius dicta, ſimplicem: at cum abundantis humoris acceſſione. Vt ſi pituita non inſigniter ſed mo-

*2. Ad vires.*

*2. Plethora genus non ſimpliciter dictum.*



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

dice extra proportionem excurrat, plethora hæc pituitoſa: ſi ſanguis, ſanguinea: ſi bilis, bilioſa dicetur. Hoc autem poſtremum *plenitudinis genus*, a vario in hominibus colore diſtinctionem accipit: ſiquidem vt eo in libro ait, color a ſucco, non a ſolidis animalis partibus prouenit, & niſi ambientis aëris violētia & animi affectus ſubſit, certiſſima ſucci animalis cognitio ex colore datur. Rubicundus ex albo rubroque miſtus color, plenitudinem ſanguineam demonſtrat. Subpallidus, flauus & citrinus, bilioſam. Albicans, interdum plumbeus aut liuidus pituitoſam. Fuſcus, obſcurus, nigricans, melancholicam. Sed id quoque de mediocribus eiuſmodi coloribus eſt intelligendum: ſi enim nimii fuerint potius cacochymiæ quam plenitudinis indices erunt. *Omnia hæc plenitudinis* genera eaque præſertim, quæ ad vaſa & vires ſunt, ſi diutius moleſta eſſe pergant, humores paulatim corrumpent, atque etiam fluxionis in imbecillas & ſitu decliuiores partes cauſæ erunt, vnde tumores, venarum ex nimia diſtentione, ruptiones conſequantur: Itemque inflamma-

*Gal. lib. 4. de ſanitate tuenda.*

*Omnia genera plenitudinis ſi diutius perſiſtunt, ſunt corruptionis & fluxionis cauſa.*

flammationes, in quibus duabus de cauſis ſanguis corrumpitur, & quia non diſflatur, & quia a natura non vincitur. neceſſe ſiquidem eſt humores naturæ imperium detrectantes, & proprio calore, qui omnia moderatur, deſtitutos, ab externo, putredinis auctore, demum opprimi. Nam dum cedit natiuus calor aduentitio, tum putredo & corruptio ſumma conſequatur oportet. Id ipſum dicit Galenus libro de curandi ratione per miſſionem ſanguinis, his verbis: Cum plenitudo, quæ ad vires refertur, facile in putredinem abeat: interdum autem in partes quaſdam irruens, ibi tumores præter naturam excitet: hæc autem, quæ ad vaſa dicitur, ſæpe in partes quaſdam decumbat, tumores, apoplexias, venarumq; ruptiones moliatur: celeriter vacuanda vtraque eſt, priuſquam aliquam perniciem conciliet.

*De Cacochymia.*

Cap. 4.

PORro, vt in venis, ſucci, quo minus a moderatione ſua recedunt, eo ſanguinem faciunt puriorem, ita ab hac propor-

tione quo diſtant magis, & extra conſtitutos limites vt alueos exundant, eo corruptiorem & magis cacochymum ſanguinem reddunt. Nam ſi pituita vel bilis vel melancholia, in conuenienti proportione ſua non conſiſtant, ſed modo bilis, modo melancholia, in venis plus iuſto creuerint, impuri ſucci ſanguinem cacochymiæ auctorem generabunt. Eſt enim

*Quid cacochymia.*

κακοχυμία a χυμὸς qui proprie ſuccus eſt, deductum nomen, quaſi ſucci malitiam aut vitium dixeris. Quoties enim vnus e venarum ſuccis a ſua moderatione recedit, cacochymiæ huius auctor eſt, idque proprie. Poteſt enim humorũ omnium redundantia improprie cacochymia dici, in qua non tantum ſucci ſanguinem conſtituentes locari debeant, ſed etiam alii omnes in corpore liquidi & profluentes quotquot ſunt, vt ſputum, mucus, vrina, ſudor, pituita, bilis vtraq;, chylus, ſanguis, & cætera eiuſmodi, quibus medici humoris nomen tribuunt. Neque enim ſolum abundantes & corrupti in ſanguine ſucci per medicamenta e corporibus educuntur, ſed etiam omnes alii ſuperflui in

fluì in toto corpore humores: vt non immerito, licet impropriè, *triplex cacochymia* ponatur. Quarum prima ſit ex ſuccis alēdo corpori deſtinatis, ſi quãdo ſuos fines manifeſtius egrediantur, ſanguine pituitoſo, bilioſo, melancholico: ſecunda ex humorib. ſuperuacaneis: tertia ab excrementis. Supeŕuacanei humores ſunt, qui a ſanguine ſecreti, naturæ viribus in aſſignatas ſedes detenduntur. Vt bilis flaua, quæ chyſtim propriam, melancholicus humor lienem, pituita non vnum locum, ſed inteſtina, vẽtriculum, cerebrum, quibus recipiantur, habet. Plerunq̀ue tanta eſt horum ſuperuacaneorum humorum colluuies, vt deſtinatis a natura receptaculis cum non poſſit excipi tota, non ſit mirum ſi portio eius non parua in ſedes vicinas illabatur, in pancreas nempe & meſenterium, corporis totius ſentinas, & in quibus lentarum febrium, cachexis, atrophiæ, langoris, & multorum aliorum morborum cauſæ plerunq; reperiuntur. Excrementorum genera quatuor ſunt. Tria a tribus concoctionibus prodeuntia, a prima ventriculi concoctione, cum

*Cacochymia triplex.*
*1.*
*2.*
*3.*
*Excremẽtorum genera quatuor.*
*1.*

iecur ad ſe tenuiorem chyli portionem rapuit, reliqua craſſior & impurior in inteſtinis & aluo remanens, fex alui dici ſo-
2. let. Secundæ cōcoctionis excrementum eſt vrina, quam renes e iecore & venis
3 proliciunt. Tertiæ, quod per cutis poros, inſtar vaporis, & per inſenſibilem tranſpirationē exhalatur, & quod cuti adhæret extrinſecus, itemque ſudores, ſeroſi humoris reliquię, qui & modice & natu-
4 raliter eruperunt. In quarto excrementorum genere ponuntur, quæ ſingulis partibus peculiaria ſunt, vt pili, vngues, renū & veſicæ, ea quæ cum vrinis redduntur. Qui per palatum, nares, oculos, & aures diffluere ſolet humor, excrementum nutritionis cerebri eſt: cuiuſmodi & illud quod in ventriculo & inteſtinis procreari ſolet, quod concoctionis primæ cruditas eſt, quæ euinci non potuit. Hoc quanquam pituitæ temperamentum habere videtur, non eſt tamen pituita, quippe quæ in ſolo iecore gignatur, & in ſuccorum vtilium numerum referatur.

*Quas*

*Quas corporis partes cacochymia occupet, & vt per hypercatharſin ſanguis vacuetur.*

Cap. 5.

HIs prius explicatis, facile licet colligere quibus in corporis regionibus cacochymiæ vitia inſint. Nam cum intelligimus cacochymiam aliã in ſuccis, aliam in ſuperuacaneis corporis humoribus & excrementis eſſe, qua illi morentur in ſede, ignorare non poſſumus. Si enim de ſuccis ſanguinem conſtituentibus, ſiue æqualiter auctis, ſiue de vno, qui ſua ſpreta proportione, reliquos ſuperat, agatur, eos in venis cõperiemus: ſi de ſuperuacaneis iiſque naturalibus excrementis, vtraque bile & pituita: ſi de excrementis alui, inteſtinorum, ventriculi, cerebri, pulmonum, & eorum, quæ partis alicuius ſubſtantiam occupant, quæſtio ſit, nullus nõ facile eis debitam in corpore ſedem aſſignabit. *Eruditiſſimus* Fernelius in locis pleriſque librorum methodi, tres facit in corpore cacochymię regiones. Quarum primam circa ventriculum, præcordia, meſenterium, pancreas, abdominis capa- *3. cacochymiæ regiones in corpore ex Fernelio.*

citatem, lienem, iecoris cauum cõſtituit. Secundam ab hepatis medio ad tenues vſque partium ſingularum venas extendit: vaſa omnia ſanguinea, ab hepatis cõuexo ad alas & inguina vſque excurrentia, comprehendens. Tertiæ regioni locũ aſſignat in habitu corporis, id eſt, in muſculis, membranis, oſſibus, omni denique ea corporis mole, in qua venæ & arteriæ minores inſeruntur, & ea omnia quæ ad ſummam & extimam cutem proferuntur. *Galenus* autem etſi aperte vno in loco has cacochymiæ ſedes nõ diſtinguit, non confundit tamen, neque vna ex corporis parte deducit. Nam etſi humores, præcipue in venis collocat, tamen non negat etiam in cerebro, pulmonibus, ventriculo, inteſtinis, hypocondriis, habitu corporis domicilium & ſedem habere. Intermittentes febres a continuis cum diſtinguit, has hac nota a ſe inuicem diſſidere facit: nempe quod continuarum humor *deliteſcat* & contineatur in venis, intermittentium autem, in omnibus aliis corporis partibus. Cauſas autem morborum externarum corporis partium, bilem flauam,

*Apud Galenum variæ ſunt cacochymiæ ſedes.*

*Galenus lib. 2. de differẽ. febrium. ca. 1. & lib. 2. de criſibus.*

uam, atram, pituitam, ſeroſos humores, flatus, & cætera, non aliunde quam ab externis iiſdem partibus educit. Nam ſiue in cute ſint, ſiue ſubiectam quoq; carne, membranas, oſſa, tendines occupent, in habitu corporis eſſe dicũtur. Vnde intelligitur etiam ex Galeno humores non ſolum in venis & media corporis regione ineſſe, ſed etiam in prima & tertia.

Hæc de cacochymiæ ſedibus doctrina quanuis certa ſit & conſtans: non deſunt tamen, ei qui aduerſentur. Fatebuntur quidem omnes cacochymiam eſſe in prima & tertia, de qua egimus, corporis regione. *Sed qui fieri poßit* vt venas præſertim maiores occupet, plerique ignorare ſe ingenue profitentur. Sciunt cacochymiam, quacunque in parte fuerit, medicamento purgante tollendam eſſe: quo modo autem ſanguis ferre id poſſit, non ſatis intelligunt. Sic enim ratiocinantur: cacochymia, quacunque in corporis parte fuerit, eſt purganda: at nihil eſt in venis quod purgari debeat, nulla ergo in venis cacochymia eſt. Nihil eſſe in venis quod purgationẽ ferat, inde concludunt, quod

*Quidem nõ poſſunt adduci vt credant cacochymiam eſſe in venis.*

venæ ſunt ſanguinis ſedes. Illi autem cum ſanguinis vocem audiunt, ſimplex quoddam corpus imaginantur, de quo quidquam per purgationes detrahi poſſe, niſi in hypercatharſi, non putant. Purgatio enim cum nihil aliud ſit, quam impuri a puro detractio, quis, inquiunt, in puro ſanguine, impurum, quod expurgetur, reperiat? vtique ſi ſanguis, vt illi ſibi perſuaſerunt, vniuſmodi & ſimplex eſt, concedo in venis nihil eſſe purgationi debitum. At ſi, vt ſatis multis demōſtrauimus, non ſit vnus, ſed conſtet ex varia humorum permiſtione: ne putemus abſurdum, ſi, dum præſcriptos a natura fines exceſſerit, dum corrumpi cœperit, de eius e venis eductione ii cogitent, quibus aliquid in illis cacochymiæ reperire non eſt religio. Hanc cordati medici ita lege excludunt, vt cum ea nihil (:quod iſti verētur:) ſanguinis puri & incorrupti pereat. Fit enim nunquam, vt per purgationem vna cum corrupto etiā purus effluat ſanguis, niſi magno medicorum errore: cum tam validum exhibeat medicamentum, vt non tantum humores ſibi affines, ſed etiā

reliquos

reliquos vi ſumma adoriantur & exturbent. Hæc autem purgandi ratio, noſtra eſt *hypercatharſis*, quæ nobis ſuperpurgatio aut nimia purgatio dici poteſt. *In hac, medicamentum*, primo humores ſuæ naturæ, id eſt, ſibi, ſubſtantiæ ſimilitudine, cõiunctos educit: *Inde ſi quibuſdam* adhuc valeat viribus, reliquos: a tenuioribus & ad fluendum aptioribus ducto exordio. Poſtremo *purum ſanguinem*, quem natura vt conuenientiſſimum ſibi, auidius amplexatur & retinet, magno impetu exigit. Ea eſt enim medicamentorum purgantium natura, vt, ſi, qua debent quantitate & qualitate, exhibita fuerint, attrahant ſolummodo quod ſibi naturali familiaritate coniunctum fuerit: ſi vero hanc ſymmetriam exceſſerint, & ſint viribus validioribus quam ſatis ſit ad familiaris humoris eductionem, quod reliquum eſt virium, in diuerſorum humorum attractione conſumunt. Etenim pharmacum, ait Hippocrates libro *de natura hominis*, vbi corpus fuerit ingreſſum, primum quidem ducit id, quod ex omnibus in corpore exiſtentibus ſibi familiare fuerit: inde

*Hypercatharſis quid. Hippo. lib. de natura hominis. Gal. de purg. medic. facult.*

*Gal. de ſimp. med. fac. lib. 3. cap. 26.*

*Galen. 2. de clemen.*

*Ex lib. 4. de morbis.*

vero alia, quemadmodum ſtirpes & ea quę e terra exiſtunt, vbi terram ſubierint. trahunt in ſeſe & ex ea proliciunt quod ſuæ naturæ familiare fuerit, ſiue dulce id, ſiue amarum, acidum, aut ſalſum exſtiterit. Deinde, etiam ſi quando qui attrahit eſt maior aut viribus potior eo, quod ſibi familiare eſt, etiam quod reliquum eſt virium in ſuccorum qualiumcunque attractione conſumit. Eadem ſane eſt medicamentorum in corpore ratio, quæ cognata ſibi primo, &, ni eorum vires deficiant, reliqua, licet ſubſtantia diuerſa, educere moliuntur. Galeni etiam ipſius teſtimonio, qui libro primo de naturalibus facultatibus ait, Medicamenta purgantia non modo proprias ſibi qualitates attrahunt, ſed etiam ſurculos & telorum cuſpides, quæ præalte nonnunquam in carne ſunt infixę, euellunt. Ergo medicamentorum, præterquam paucorum (: quibus ea vis ineſt a natura:) non eſt ea facultas, vt, niſi quantitate nimia propinata fuerint, ſanguinem purum queāt vna cum corrupto educere. Nam ſi ea, qua debent, moderatione data ſint, ſuperfluum tantummodo humo-

humorem, vtili & neceſſario relicto, ſua illa cum vitioſo ſucco ſimilitudine prolicient.

### *Quibus medicamentis trium corporis partium cacochymia purgetur.*

### Cap. 6.

CÆterum etſi medicamentorum prędictis corporis regionibus cõuenientium tractatio, huius loci eſſe non videatur: tamen vt nonnullis, quibuſcum de iis in contentionem aliquando venimus, ſatisfiat: dicendum videtur paucis, *non ſit plerunque neceſſe*, pro diuerſa partium corporis purgandarum ratione, medicamẽtum variare & mutare. Galenus ſecundo ad Glauconem docet alia eſſe debere medicamenta, quæ vicinis & ſtatim obuijs partibus expurgandis adhibẽtur, alia quę remotioribus. *Item medicamenta quæ*, ex purgandis eiuſmodi partibus remotis deſtinata fuerunt, debere eſſe longe valentiora ijs quæ ſunt viciniores purgatura. Etenim ait (: vt de remotis primum dicamus) quæ partes ex longo interuallo medicamẽti virtutem expertæ ſunt, his non quale nunc eſt, ſed quale, cum eo perue-

*Num ſit pro varia partium expurgãdarum ratione medicamentũ mutandum.*

*Medicamẽta remotis partibus expurgandis deſtinata, valẽtiora eſſe debere iis quæ vicinis.*

nerit, futurum eſt medicamẽtum, ex ſitu partium cognoſcendum. Quod docet exemplo eorum, quæ ad renum & pulmonum vitia vſurpantur. Ea quoniam multas corporis partes, antequam eo perueniant, permeare oportet, vult longe validiora eſſe aliis, nempe, vt ad locum, cuius cauſa ſunt præſcripta, integris viribus perueniant. Nam cum per multas partes tranſeat, fieri non poteſt, *ait Galenus*, quin in ſingulis hiſce partibus, humorib⁹ quibuſdam medicamentum miſceatur, & mutationem quandam alterationemque naturæ viſceris familiarem recipiat. Vnde fit, vt, quod de eius virtute ſupereſt, minus omnino & hebetius ſit, quam vt læſam particulam iuuare poſſit. Si enim conſideremus medicamentum, quod ad pulmones datur, videbimus antequam eo perueniat, per multas partes permeare. Primum per os, inde per fauces & ſtomachum, poſtea per ventriculum, mox per quendam e gracilibus inteſtinis trãſire, ad hæc per meſenterii venas, poſtea per iecoris ſimas partes & conuexas, deinde per cauam venam, poſtremo per cor

*Lib. 2. ad Glauco.*

ad

ad pulmones peruenire. Per totidem fere circuitiones & anfractus, ea, quæ ad emẽdationem vitiorum habitus corporis exhibentur, medicamenta, ad oſſa, muſculos & ipſum habitum perferuntur: quibus expurgandis vt ſint idonea, acerrima ea & vehementiſſima eſſe oportet. Nam ſi remediorum vires, quibus per multa membra eſt tranſeundum, infirmæ ab initio ſint: antequam ad ſcopum pertineant, nõ tantum effœtæ verum etiam nullæ erunt. Atqui ad partem purgandam integris viribus perueniat oportet medicamentum, nihil de inſita cum purgando humore familiaritate deperdita: ſi velimus ab eo, qua valet facultate, humorem prolici, & a longinquis partibus per venas in aluum, & demum in inteſtina reduci, vt humorum & medicamẽtorum, quæ ſuſcepit, acrimonia irritata, aluus auide vt ſolet ad noxiorum expulſionem & excretionem feratur. *Alia autem eſſe* debebit ratio eorum medicamentorum, quæ vicinis partibus & primæ corporis regioni aptari debebunt, vt vẽtri, ſtomacho, partibus ad hypochõdria pertinen-

*Galen. 2. ad Glauconem.*

tibus, iis enim ſolis talia adhibentur medicamenta, qualia vicinus expurgandus locus expoſcit. Nihil autem illis propter viæ lõgitudinem & virium in itinere deperditionem additur. Ergo,ait Galenus, quæ a ſitu partis medendi ſumitur indicatio, hoc modo curationem variat, vt valẽtiora remedia ad remotæ partis purgationem, mitiora ad vicinæ adhibeantur. At dicet aliquis,his auditis,concedimus quidem,vt medicamentum, quod his partibus conueniat, non ſit vnum & idem. Non erit vnum nec idem, eius ſi quantitas &doſis pro partium expurgandarum ratione modo augeatur, modo minuatur. Si pars vicina expurganda ſit, congruente & apto ad id medicamento: ſi remota,eodem quidem, ſed quantitate aucto vtemur. Neque neceſſe fuerit ad partes diuerſas, diuerſum medicamenti genus adferre, cum idem medicamentũ, modo quantitate variatum, iis omnibus ſatis eſſe poſſit.

*2.ad Glaucon.* Sed vt eiuſdem cum illis ſim ſententię, *non patitur* prædictus Galeni locus. Nam cum partibus vicinis & affinibus mitiora, remotis

remotis acriora & vehementiora, non quantitate immutata, remedia adhibet: ſatis indicat non vnius generis ea eſſe, ſed varia & multiplicia. Quæ idcirco in certas claſſes pro ratione partium corporis expurgandarum commode poſſe diſtribui cenſemus. Ergo, vt tres eſſe corporis regiones diximus, ſic non immerito ſingulis ſua medicamẽtorum genera tribuimus. Quorum primum erit e mitioribus, & iis, quorum vis ad hepatis vſq; cauum pertineat. Secundũ e mediocribus quorũ virtus vltra venas maiores non egrediatur. Tertium e valentioribus, quæ e corporis habitu humores detrahat. Sed quænam ſunt illa trium ordinum medicamẽta inquies, cedo nomina? Reſiſte obſecro, quin audi eruditiſſimum Fernelium pro me reſpondentem. *Vſus, tres* notauit purgantium medicamentorum ordines, ait: vnus eſt benigniorum, quæ minimum ab alimenti natura defecerunt, cuiuſmodi ſunt pruna, violæ, manna, ſerum lactis, caſſia fiſtula. Alter mediocrium, in quo ſunt rheubarbarum, agaricus, ſenna, aloe. Tertius valẽtiorum, quæ & maligno-

*Tribus corporis regionibus, tria medicamẽtorum genera diuerſa conuenire.*

*Fernelius 3. method. c. 4.*

rum appellat, nimirum in quibus, etſi ad purgandum vtilibus, vis & ſubſtantia ineſt venenata. qđ teſtatur Dioſcorides libro ſexto cap. 33. & fuſius Matthiolus cōmentario in eundem librum. In hoc genere habentur Colocynthis, ſcammoniū, euphorbiū, turbith, elleborus, & cætera eiuſmodi, quorum vitium medici corrigere ſolent. ſunt hæc tria medicamentorum genera, prædictis tribus corporis regionibus conuenientia. Huius autem diuiſionis ope adiuti prudentes medici, ſi humores in habitu corporis delitеſcunt, quos purgare oporteat: quodnam medicamenti genus vſurpandum ſit, intelligunt. Si in prima aut ſecunda regione: illis quæ conueniant medicamenta, norūt. Neque hac ratione accidit vnquam, vt quidquam ab vlla corporis parte deducatur, quod non oporteat. Sed audacter, his muniti ſubſidiis, de humoribus id extrahunt, extrahendum quod fuerit. Si humores in vaſis maioribus aut corporis habitu reſideant, quos mouere non ſit fas, nihil obſtabit, quin, ſi adſit ventriculi impuritas, amarore, cibi faſtidio, nauſea, ro-

ſionis

ſionis ſenſu conſpicua, non poſſimus medicamenta primæ claſſis ad leuãdam naturam in ventriculo & hypochõdriis impeditam vſurpare. Hos medicamẽtorum ordines & corporis regiones qui ignorãt, in ſummo errore verſari & hallucinari neceſſe eſt. Sic plerique, dum in pueris vident corporis habitum exanthematis, papulis, variolis, ſcabie obſideri, nullis argumentis adduci poſſunt, vt credant vllũ medicamenti genus iis affectionibus cõuenire. Etenim eiuſmodi in morbis (:aiunt:) victrix natura odio & offenſione noxiorum humorum cõcitata, quod ſibi infenſum eſt, foras amandare conatur, & tanquam criſi quadam in corporis habitum extrudit, vnde fit, inquiunt, vt hoc genere morborum laborantibus periculoſam eſſe purgationem credamus. vt quæ naturæ motum retro inhibeat, & in contrarium conuertat, a circunferentia ad centrum reducens, quod natura e centro ad circunferentiam expellebat, contra Hippocratis præſcriptum, *qui humores* vult deriuari in conuenientia loca, & ea per quæ maxime natura ducere videtur. *Aphoriſ. 21. lib. 1.*

Vtique ſi in morbis eiuſmodi, poſtremo remedii genere vteremur, quod acerrimum & vehementiſſimum cum ſit, a diſtantioribus partibus & ab habitu corporis ducit, naturæ opus, fateor magno ægrorum malo, inuerteremus. Sed cum ſint alia duo medicamentorum genera, quorum vis eo peruenire non poſſit, his ſi vtaris, non offendas. Eiuſmodi ſunt benigniora medicamenta, quibus e vicinioribus tantum partibus attrahimus, nihil e remotis, quibus, naturam humoribus ad ventriculum & hypochődria pertinentibus obſeſſam liberamus, dum in euictione humorum in corporis habitu infixorum laborat. Qui attente morborum eius generis curationem conſiderant, vident plerunq;, ſat ſcio, exanthemata & puſtulas non prius apparere, quam natura aliqua ſui oneris parte, medicamentis benignioribus leuari cœperit. Itaque in eiuſmodi morbis corporis habitum obſidentibus & occupantibus, vti caſſia, manna catholicoue ſimplici, rheubarbaro, agarico licet, & cæteris eiuſmodi, quorum vis ea ſit, vt e vicinis non e remotis partibus

ducat.

ducat. Ergo primæ claſſis medicamenta, etſi non ſint iis viribus, vt externarũ corporis partium, morbos curare poſſint: illarum tamen curam non mediocriter iuuant, dum natura hac oneris parte, quæ primam aut ſecundam regionem premebat, ſubleuata, habitus corporis vitia, minori negotio frangit & domat. Attamen ad externorum eiuſmodi morborum rationem eos, qui in prima regione deliteſcũt, exigere velle, abſurdum eſt. Nam primis illis & obuiis morbis ſi mederi volueris, minus profectò conſiderate, & contra definitas curationum leges feceris, ſi dum benigna medicamenta ad id ſatis eſſe poſſunt, etiam valentiora adhibueris. Si enim quæ nos non lædunt, naturæque noſtræ ſunt familiaria & amica, ſufficiant, nihil eſt vtique, quare naturam iam labentem, quam nos fulcire & ſuſtinere velle dicimus, tamquam officii noſtri immemores importunis iſtis medicamentis fatigemus. Etenim tertii huius ordinis medicamenta ſiue ſimplicia ſiue compoſita fuerint, eius ſunt naturæ, iis ſine graui corporis offenſione vti vt nõ

poſſis. Neq; enim quis ſcammonio, elleboro, euphorbio, turpeto, hermodactylis, medicamentis ſimplicibus ſine magno ventriculi & viſcerum detrimento vtatur. Quæ etſi cum aliis medicamentis, mixta & compoſita nonnihil de maleficentia ſua depoſuerint, ſunt tamen imbecillibus, literarum ſtudio deditis, ſenibus, prægnantibus, pueris, parum tutæ, etiam ſi de tertiæ regionis, cui deſtinata ſunt, purgatione agatur, tantum abeſt, vt validis illis, quando cum prima aut ſecunda regione, quæ eius conditionis homines plerumque male habet, nobis res erit, vti debeas. adde quod non paret ille præſcripto Hippocratis, qui vult humores per conuenientia loca duci, qui per inferiora iam male affecta, quod eſt in remotis partibus ſuperfluum, detrahit, qui iam imbecillas partes, humorum nō ſuorum, ſed aliarum partium abundantia obruit. Ideoque prudentes medici, & qui eorum, quorum curam ſuſceperunt, valetudini vnice ſtudent, a validis iſtis medicamentis, cum de prima aut ſecunda regione purganda agitur, conſulte abſtinent:

nent: quibus ſi in remotarum partium cura vti cogantur, faciunt id profecto magna cum cautione, nec niſi cum benigniorum appoſitione, præſertim cum intelligant iſta infirmis, & iis quibus debilis eſt ſtomachus, qui vitam ſedentariam agunt, vt dictum eſt, quantumuis neceſſaria, parum tuta. Quo fit vt nequeam eorum rationem ſatis, mirari, qui iſtis medicamentis promiſcue & ſine delectu vtuntur, valida & ordinis tertii in primarũ corporis partium, & contra benigna in externarum expurgatione, vſurpantes. Quod quam turpe & abſurdum ſit, nullus non videt. Maneat ergo diſtinctionis huius medicamentorum cognitionem, cum in eiuſmodi morbis, tum in pleriſq; etiam aliis vtilem eſſe. Si quidem præſcribere partibus conuenientia medicamenta vix quiſquam poſſit, niſi qui apprime norit, quodnam cuique parti remedium conueniat, ne quod vni debetur, alteri inconſiderate & parum prudenter tribuat.

*Quomodo ſucci ſanguinei in venis a natiua ſua puritate diſcedant.*

## Cap. 7.

SEd dè cacochymiæ ſedibus, cacochymia, eiuſq; purgatione hactenus. Quomodo autem ſucci ſanguinei in venis a natiua ſua puritate degenerent, fiantque excrementitii, explicandum breuiter. Diximus antea multis, Hippocratis, Galeni reliquorumque omnium medicorum conſenſu, maſſam ſanguineam ex quatuor humoribus cõſtare, ſanguineo, pituitoſo, melancholico, & bilioſo, eorumque omnium certam & definitam eſſe proportionem, a qua ſi longius recedat, ſanguinis puri nomen retinere nequeat. Qui autem ab hac proportionis via nonnunquam aberret, non eſt fortaſſe multis ſatis notum. *Fit ergo duabus* ex cauſis, vt ſanguis extra præſcriptos ſuos fines excurrat, internà & externa. Etenim quod ſanguinem conſtituentes humores *modo bilioſiores*, pituitoſiores, modo magis ſint melancholici quam par eſt: non tãtum cauſis externis, regioni, tempeſtati, viuendi rationi, cibis tribuendum eſt, *ſed multo magis internis*, viſcerum, cordis, iecoris, ſtomachi temperaturæ. Bilem e quatuor

*Duæ ſunt cauſæ quib. ſanguis ſuos fines egreditur, vna interna, altera externa.*

*Bilis cauſa externa.*

*Bilis cauſa interna.*

quatuor humoribus eam eſſe dicimus, quæ copia reliquis omnibus in ſanguinea maſſa facile cedat: attamen quibus iecur cordiſque temperatura calida & ſicca eſt, magnam flauæ bilis copiam, vel maiorem multo quam ſanguinis puri ferat cõditio, vel ex optimis & bene temperatis alimentis exaggerant. His ſi alimenta calida & ſicca, inediæ, exercitatio vehemẽs, vigiliæ immoderatæ, labores, curæ graues, mœrores acceſſerint, ſi ſpontanea bilis euacuatio, per vomitum, aluum, ſudores, vrinas fieri ſolita, ſuppreſſa aut intermiſſa fuerit, quibus iſta obtigerint, ii neceſſario bile multa redundabunt. Nam vt ait Galenus lib. 2. de criſibus capit. 12. Quicquid alimenti ſupra modum calefit, præſertim ſi pingue fuerit & dulce, in amaram bilem vertitur. Idem calfacienti & exſiccanti labori, bilis generationem quoque tribuit lib. 4. dè ſanitatè tuenda, his verbis, quos multus calor exercet, hi bilioſum & melancholicum. Illum æſtate, hunc autumno gignunt, quanto autem diuturniores labores fuerint, tanto ſunt ad atram generandam bilem magis

procliuis. Pituitoſus in ſanguine ſuccus reliquos omnes, ſanguineo excepto, licet vincat, tamen qui cor, iecur, ventriculum frigidum & humidum habuerint, nullum cumulandi eius modum facient. Quod ſi ad has internas cauſas frigidorũ humidorumque alimentorum immoderatus vſus, aquæ potus liberalior, victus plenior, largiorque potus, ſedentaria & otioſa vita accedant, futurum vtique eſt, vt crudis & pituitoſis ſuccis, non ſolum venæ, verum etiam totum corpus abundet & circunfluat. Quicunque autem iecore, corde frigido & ſicco fuerint, lienẽ imbecillum & hypochõdrium diſtẽtum habuerint, ſenes præſertim & qui craſſorum terrenorumque alimentorum ſaleque conditorum vſu delectati fuerint, multisque ſtudiis, curis, negotiis impliciti, plurimum melancholiæ coaceruabũt. Temporum quoque conſtitutiones parteſque anni ſingulis iſtis ſuccis quadam affinitate & ſimilitudine reſpondentes plurimum in hac coagmentatione humorum valere, teſtes ſunt Hippocrates & Galenus, eos dum exſuperantiæ eius aucto-

auctores faciunt. Æſtate, *ait Hippocrates*, bilis ſuppullulat accreſcitque: quod hinc diſces, quia homines hac tempeſtate bilem vomunt, & per medicamentorum potiones bilioſiſſimis purgantur. Item atra bilis autumno plurima eſt & potentiſſima: hyeme, in homine increſcit pituita: vere ſanguis. conſtitutiones enim diuerſæ eiuſmodi, variorum humorum generationi maxime conducũt: ſimilia ſiquidem fiunt & conſeruantur ſimilibus. His ex cauſis ſucci non ſolum ſuos fines egrediuntur, ſed etiam vago eo in errore ſi diutius verſentur, ad nutrimentum corporis demum inutiles reddũtur. Vt enim tenuiſſima pars ſanguinis æſtu & cauſarum calidarum frequenti occurſatione non ſolum ſuos excedit limites, & augetur *vltra ſuum modum* & proportionem, verum etiam amaritudinem & acrimoniam excrementitiæ bilis aſciſcit: ſic reliquæ ſanguinis partes (: ſanguinea excepta, quæ nimium augeri non poteſt: ) a cauſis ſibi ſimilibus dum afficiuntur, in affines ſibi & finitimos humores, ſi non omnino, at magna ex parte tranſeunt,

*Hip. & Gal. lib. de natu. huma.*

*Modũ cum excesſerint ſucci, fiunt demũ excrementitii, & innatã nutrientib. ſuccis dulcedinem deponẽtes, ad nutriendum inepti.*

ſuæque naturæ cognatos ſuccos inuehũt. Etenim a naturali ſua proportione ſi receſſerit hic aut ille humor, non in eo peccabit ſolum, ſed ſimul innatam nutrientibus ſuccis dulcedinem paulatim deponet, & excrementitiorum ſuæ ſpeciei humorum naturam induet, vnde fiat ad nutriendum ineptus. Immodico extenuatus calore bilioſus ſuccus non ſolum copia nocebit, verum etiam excrementitiæ bilis amarorem ſumet: ſic melancholicus frigore & ſiccitate præter abundantiam, auſteritatem & acerbitatem, pituitoſus inſipidum guſtum, aciditatem & ſalſedinem aſſumet, a quibus natura abhorreat minimeque enutriatur. Siquidem quæ nutriunt plus aut minus, dulcia ſint oportet, a qua dulcedine quo plus receſſerint, eo ad nutriendum erunt ineptiora. Quod dulce eſt, eſt aptum eſui *ait Galenus*, quod exquiſite amarum, nutritioni ineptum: quæ in medio eorum ſunt, nutriunt quidem, verum minus quam dulcia. Igitur humores non quantitate, etiam ſola, graues & moleſti eſſe poſſunt, quin ſimul qualitatem nutritioni ineptam & reliquis integris

*4. de ſimpl. medi. facul. cap. 14.*

integris ſuccis inimicam adipiſcantur. Nam vt ait Galenus libro nono Methodi, fit ſanguis bifariam naturæ inutilis, vel dum ita multitudine creuit vt premat vires, aut diſtendat vaſa, rumpat, vel obſtruat: vel cum propriam qualitatem ad vnguem non ſeruat, nec amplius nutrire ſicut prius poteſt. Quocirca ſolers & prouida natura, ne humorum nutritioni dicatorum & his contrariorũ vnus & idem foret locus, bonique ſucci impurorum contagione tandem inficerentur: duo tãquam vaſa, folliculum fellis & lienem, in quæ excrementitios eiuſmodi humores ſeponeret & cõderet, parauit. Verum ſi horum tanta eſſet copia, quanta his receptaculis excipi tota non poſſet, aut aditus omnes illi & ab hepate in folliculum, & a folliculo in ieiuni inteſtini initium vel ventriculi fundum præcluſi eſſent, venaque, qua hepar melancholicum humorem in lienem deriuat, obſtructa, neceſſe vtiq; eſſet eiuſmodi humores, quos natura a ſe amandare nitebatur, in vaſa ſanguinea regredi, vnde multiplices morbi oriantur, modo ſine febre vt ple-

runque in ictero arcatoque nigro euenit, in quibus vt lien aut folliculus fellis depulſos a iecore humores non excipiunt, ſed in venas refundunt: ita venæ in habitum corporis, moleſtum, nõdum tamen putreſcentem, ſuccum amandant. Quod ſi natura debilis, expellere quod non poteſt, retineat diutius, idq; in putredinem abeat, febris generabitur, ſi flaua redundet bilis, ardens dicta, & tertiana continua: ſi pituita, quotidiana, ſi melancholia, quartana. Neque enim poteſt humor vnus in venis plurimum redundare, quin prauam tandem induat qualitatem: vt quæ niſi ſtatim putredine tentetur: ad eam tamen ita propenſus eſt, vt vel leui occaſione putreſcat. Nam naturalis vt erat, dum ſuis continebatur limitibus, ſic in affectum contra naturam, eos dum egreditur, degenerat, vim naturæ infert, eiuſque vires & functiones manifeſte interturbat. Qua ex cauſa humoris illius naturalis calor imminuitur, vnde ſtatim externus adſit, tum paulatim obrepit putredo, augetur, inualeſcit, & ni mature a medicis prouideatur, non ante

definit,

deſinit, quam non tantum corruptum illum humorem, ſed etiam omnes ſanguinis partes ad putredinem procliues abſumſerit. Sed dum cauſa morborum efficiens opera medicorum imminuitur, natura, parte oneris ſublata, ſe colligit, & aduerſam, quantum in ſe eſt, fugat putredinem: ad hæc, imminuta hac ratione parte putreſcentis humoris, ſoluitur etiam quodãmodo obſtructio, quam *pleriſq; in locis Galenus* primã, præcipuam, & quaſi ſolam putredinis cauſam facit. Dum enim abundantes in venis ſucci premuntur & coguntur in ſeſe, fit tranſpirationis cohibitio, cauſa etiam putredinis efficiẽs. *Inhibitam* enim tranſpirationem humorum putredo conſequitur. Nam ſi natiuus calor ventilari nequeat, ilico exſtinguetur, & in eius locum externus continuo ſuccedet, vnde humores ad corruptelam ex putredinis natura (: *vt vult Galenus*:) mutantur. Siquidem, vt paulo ante docuit, putreſcunt tantum illa corpora, quæ cum calida humidaque ſint natura, nec perflata nec ventilata in calido & humidò loco includuntur, quod ſi in motu

*Gale. de differ. febr. c. 9. & de humo. cõtra naturam, & 11. method.*

*Gal. lib. 11. method.*

*Gal. lib. 11. method.*

ſint, ventilentur & perflentur, poſſunt ea non putria & integra ſeruari. At quomodo hæc in vaſis ſanguineis corruptio tolli debeat, oſtendit eodem libro Galenus, nempe eius, quod corruptũ, eſt per conuenientia remedia vacuatione: qua etiam efficias, vt, qui contra naturam affectus ab iis humorib⁹ ꝓuenerint (:dummodo propere id fiat:) minus augeantur. Si enim, ait Galenus libro de atra bile, melancholicum humorem ſtatim per initia medicamentis, eum valde vacuantibus, purgaueris, quo minus affectus, qui inde prodire ſolent, augeantur, prohibebis. Quod autem de melancholico humore ait, idem de reliquis eſt intelligendum: qui ſi tempore & loco tollantur, affectus ab his generari ſoliti, ſuo destituti pabulo, vt demum contabeſcant, metam vlterius progrediantur oportet. Qua ratione autem eiuſmodi humores vacuentur, ſanguiniſne miſſione, an purgatione, id eſt, quod ſecundo inſtitutæ diſputationis membro inueſtigamus.

DE

# DE VENARVM CACOCHYMIA ATQVE EIVS VACVANDI RATIONE, ET AN NON LICEAT IN cacochymia ſanguinem mittere. Item quis ſit & in plethora & cacochymia vacuationis ſanguinis modus.

## SECTIO SECVNDA.

### *Quod cacochymia purgatione potius quam venæ ſectione tolli debeat.*

### Cap. I.

CACOCHYMIAM in venis diximus a ſucco aliquo ſuos fines egrediente, vnde corruptam qualitatem acquirat, proficiſci:at vitium hoc amouere dum volumus,reliquos ſanguineos, vtiles & neceſſarios ſuccos educi ſimul nolumus. Hoc cum ita ſit, perfacile eſt videre in vitioſi huius humoris ablatione,vti ne ſanguinis miſſione,an purgatione debeamus. Nam cum,quod inquinatum & corruptum in ſuccis eſt, ſui, non alterius incorrupti ablationem indi-

cet, reliquum eſt, vt ad conſueta purgationis & venæ ſectionis effecta attendentes, ſtatuamus vtro horum duorum vti debeamus. Diximus purgantia medicamenta, dum opus ſuum peragunt, affines ſibi & cognatos humores ſimilitudinis proprietate detrahere, & impurum, cui mouendo deſtinati ſunt, puro intacto expurgare. Siquidem purgationis finis eſt, vt, quod in humoribus purum eſt, ab impurorũ admiſtione liberetur. Sanguinis autem miſſione fieri illud nequaquã poteſt, neque enim e vaſis, dum ſanguis effluit, corruptum potius, quam quod purum eſt, emanat. Nam, *vt docet Galenus*, per detractionem ſanguinis, æqualiter omnes qui in venis ſunt, humores vacuantur: per purgationem autem, quæ ſanguinem ipſum (:ait:) purificat, non æque omnes, ſed vnus aliquis & is præcipue, ad quem educendum medicamentum aptum eſt. Quocirca, ſi corrupto illo ſucco, qui plerunque in venis, vt in aliis corporis partibus, ineſt, expurgari ſanguinem voluerimus: *purgatio* quæ a Galeno ſanguinem purificare dicitur, adhibenda erit,

*Gal. lib. de purgan. medic. facul.*

*Purgatio adhibenda vbi de ſanguinis corruptione tollenda, agitur.*

erit, qua humorem noxium intacto innoxio detrahamus. Non autem ſanguinis miſſio, qua promiſcue ſanguis totus, bonus vt noxius, profunditur. *Plethoram Galenus* ſanguinis miſſione curari ait, at ſuccorum vitium ſeu cacochymiam purgatione, quæ redundanti ſucco ſit accommoda, coërcendam cenſet. Idem libro quarto de ſanitate tuenda monet, ne temere & in quolibet morbo ſanguinem detrahamus, ſed diligenter atque attente conſideremus quiſnam ſit ille ſanguis, cuius de miſſione agitur: qui ſint in ſanguinea maſſa ſucci, ea ne proportione, qua debent, vt ſanguinis puri nomen obtineant, nũquid ab ea receſſerint & quantum. *Nam ſi, vt ait*, ſit paululum aut citra ſanguinem reſtitum, vel vltra proceſſum, id eſt, ſi parum abſit a ſua puritate & debita proportione ſucci, de venæ ſectione nihil cenſet dubitandum, vbi plus, conſideratius agendum: vbi plurimum, ne de venæ quidem ſectione cogitandum. Vult enim nos inſpicere quantitatem ſuccorum ſanguineam maſſam conſtituentiũ: vt, ſi bonus (:ait:) ſanguis exiguus ſit, hoc

*lib. 13 method.*

*Venæ ſectione vtendum non vbi ſucci multum a ſua proportione recedunt, ſed vbi paululum.*

*Vbi cacochymia plurimũ abſtinẽdum a miſſione ſanguinis.*

eſt, *in vaſis ſit* parum laudabilis ſanguinis, cacochymiæ autem plurimum, vtique abſtinendum a miſſione ſanguinis eſt: ſin vero cacochymia exigua ſit, ſanguis vero copioſior, audacter incidendam venam docet. Iſta quidem ſatis eſſe deberent iis, qui rationis auctoritate duci poſſunt. Sed quoniam nihilominus quidã ſunt, quos non pudet profiteri & repetere ſæpius, neſcire ſe, quomodo ſanguis alia via expurgari poſſit, quam venæ ſectione: hos ego ad præcedentia hunc de conſtitutione artis medicæ Galeni locum vt adiiciant, moneo: quo intelligant, venarum cacochymiam non, vt putant, miſſione ſanguinis, ſed purgatione vacuari. Sic enim ait, *vbi flauæ vel* atræ bilis ſuccus, vel ſeroſus humor continetur in primis venis, purgandi tales humores ſunt his, quæ aluum commouent: ſi in aliis tenuia & aquoſa excrementa fuerint, per vrinam, ſi bilioſiora, per purgatoria: poſſunt tamẽ & tenuia etiam alui deiectione purgari: quæ vero totum corporis habitum occuparunt, cum tenuiora fuerint, aut ſudore, aut medicamẽtis, quæ cuti applicata vim

*Succi in venis qui expurgari debeant.*

exſiccandi

exſiccandi habeant: cum158bilioſa, primum quidem purgatione egent, mox euacuatione per cutim. *Sic ergo vult* Galenus inæqualiter auctos, & a ſua proportione diſcedentes venarum humores, in quacunque earum parte fuerint, purgatione vacuari, contra, vt eodem ipſo ait loco, *ſi pariter* illi accreuerint, & in ſua conſtiterint proportione, præcipua eorum vacuatio fiet per venæ ſectionem. Ex his igitur videmus, quam circunſpecte Galenus, qua religione & cautione, ſanguinis miſſionem decernat, &, vt ſe non leuem in eo, ſed contra tardum & cunctabundum præbeat: vt ſuo exemplo diſcamus, quomodo nos in re ſimili gerere debeamus. vt, ſi de miſſione ſanguinis ſit quæſtio, animo tranquillo & pacato perpendamus omnia, quæ in hanc cogitationem cadũt. Iudicemus num ſit purgatio venæ ſectione potior, diligenter explorato morbi genere, ſanguinis qualitate, ægri conditione. Etenim imprudentis & vani eſt medici velle omnes morbos, & in hominibus quibuslibet, eadem ratione curare: *cacochymiam* & morbos ab ea ortos, venæ ſe-

*Inæqualiter aucti humores purgatione vacuentur.*

*Æqualiter venæ ſectione.*

*Gal. lib. 13. method.*

ctione, quæ plenitudinis propriè remedium eſt, tollere. Atque, vt generalia hæc medēdi præcepta ad certam & propriam ſuam praxin referantur, Galenus in puris intermittentibus febribus, præſertim in tertiana, vt etiam in quartana & quotidiana exquiſitis, non admittit venæ ſectionem. Cum docet rationem qua vſus eſt in ſanando eo, qui quotannis æſtiuo tempore corripi tertiana febre ſolebat, non *dicit ſe vſum* venæ ſectione, ſed in fine veris, bilis flauæ purgatione. Item libro primo de arte curatoria ad Glauconem, tertianam exquiſitam, id eſt, cuius paroxyſmum pura ſequitur intermiſſio, curat primo, vt reliquas febres, humectātibus & refrigerantibus, inde vt antea, bilis flauæ purgatione. Febres autem continuas, quarum humor deliteſcit & continetur in venis maioribus, cuiuſmodi eſt ſynochus vtraque, adhibita venæ ſectione vacuat, ſed puram copioſius, impurā autem & putridam parcius, vt dictum eſt. *Venarum enim impuritas purgatione*, quæ ſanguinem ipſum purificare dicitur, non venæ ſectione tolli debet. Licet Galenus

*Galen. lib. quos purgare, & quibus medicamentis oporteat.*

*Gal. lib. de purgan. medic. facultate.*

lenus libro vndecimo methodi dicat, ſaluberrimum eſſe in febribus venam incidere non ſynochis modo, verum etiam aliis, quas putreſcens humor concitat. Non enim id eo dicit, quod ſentiat eſſe legitimam curandarum intermittentium febrium rationem, venæ ſectionē, *quam alibi pernitioſam* eſſe dicit. Neq; enim in eiuſmodi febribus venæ ſectionem admittit, *niſi vitioſus humor*, qui eam gignit & fouet, adſit cum ſanguinis copia. quod ſi vitioſi tantum ſucci citra ſanguinis copiam ſubſint, *purgatio* petenda eſt quæ infeſtanti excremento ſit commoda. Cum vero Galenus alio modo febres intermittentes, alio continuas curat, & e continuis quaſdam liberali venæ ſectione, alias parca, vel non ſemper ea, ſed purgatione curat: habet delectum febrium, neque enim omnes ſine diſcrimine & ratione eadem curat: ſed morbos & febres à cacochymia ortas, purgatione, reliquas autem, quæ a plenitudine nimia fuerint, venæ ſectione. *Adhac* in vacuandis humoribus non ſolum ad humorum naturam attendit, vt quo ex genere ſint intelligat,

*Gal. lib. 9. metho.*

*Gale. lib. de arte cur. ad Glauco. & lib. quos purgare oporteat lib. 9. metho.*

*Gal. lib. 4. de ſanitate tuenda.*

*In vacuandis humoribus eſt etiā habenda ratio loci, in quo humores continentur.*

ſed etiam loci, in quo continentur, rationem habet, vt ſecundum diuerſas ſedes, vacuationis modum variet. Nam nullus eſt, ſi modo intellexerit intermittentium febrium, & earum quæ ad integritatem deſinunt, cauſam non eſſe in venis maioribus, ſed alia occupare loca, qui putet eos venę ſectione curandos. Galenus libro ſecundo de differentiis febrium aſſignat *intermittentium* atq; etiam continuarum febrium humoribus diuerſa loca. Erudiſſimus Fernelius hanc Galeni doctrinã pleriſque in locis illuſtrat, & præſertim libro quarto ſuæ pathologiæ capite ſexto & decimo, vbi *febres continuas* in venis ſuam habere materialem cauſam, ſicut & Galenus, docet. In ſitu autem & foco materialis febrium intermittentium cauſæ nonnihil diſcrepat, eius ſedem propriam in prima corporis regione collocans, circa lienem, pancreas, omentum aut meſenterium. Quæ loca facit veluti ſentinã, in quam confluat omnis humorũ colluuies. vt vt ſe res habet, Galenus & Fernelius in eo conſentiunt, quod neuter *febrium intermittentium* cauſam ponit in ſanguine.

*Intermittẽtium & cõtinuarũ febrium cauſæ ſunt in diuerſis locis.*

*Continuæ febres habẽt ſuã cauſam in venis.*

*Intermittẽtium febriũ cauſa nõ eſt in ſanguine.*

guine. In eo ſolum inter ſe differũt, quod ille huiuſmodi humores in omnes partes corporis vult ſuo motu deferri, hic in prima ſtare regione. Ex quo intelligitur fruſtra laborare eos qui harum cauſas quærunt in ſanguine, & volunt febres a cacochymia ortas & pure intermittentes etiam venę ſectione curari. vnde nihil aliud conſequantur commodi, quam vt e pura intermittente continuam faciant. Nam ſi, vt dictum eſt intermittẽtium febrium cauſa non inſit in ſanguine, ſed in aliis corporis partibus venas circunſtantibus: ſi plus ſanguinis e venis detraxeris, quam ſatis ſit ad plenitudinem tollendam, proculdubio exinanitæ venæ e vicinis partibus obuios quoſque & putreſcentes humores fuga vacui exſugent, hiſque ſe explebunt ſuccis, quibus ſanguis inficiatur. Atque ita fiet, vt corrupta materia, quæ extra venas antea cum eſſet, continuum efficere non poterat, nunc cum venas ſubiit, non tantum locum, ſed etiam febris genus mutet, & ex intermittente cõtinuam faciat. Hoc ſatis firmum & validum argumentum ad præcedentia reli-

qua accedit, quo efficiamus non eſſe temere & ſine magna cautione venæ ſectione vtendum: ſed vt morborum, ita perſonarum habendam eſſe rationem, vt & morbis a purorum ſuccorum abundantia ortis ſuas legitimas vacuationes, & cacochymiæ ſuas purgationes tribuamus.

*An non liceat etiam in cacochymia venam ſcindere.*

Cap. 2.

PRæcedenti capite de cacochymia quę diximus, ſatis oſtēdunt, quis ſit noſter in eius vacuatione ſenſus, & quam parū ad mali ſucci detractionem phlebotomia valeat. non tamē inde ſequitur, nos, dum mederi cacochymiæ volumus, omnem phlebotomiæ vſum tollere. *Docti etenim* medici venę ſectionem plerunque etiam in cacochymia vſurpant. Scimus Hippocratem pleriſque in morbis a cacochymia potius quam a plenitudine ortis, vtiliter venam ſecuiſſe, in hydrope, conuulſione, colico dolore, epilepſia, vocis interceptione, ventris dolore & fluxu, vt & aliis

*Medici etiã in cacochymia venæ ſectione vtuntur.*

aliis in morbis, quos Botalus in ſuo libro de miſſione ſanguinis appoſite notauit. ſed certum eſt id Hippocratem non in eũm finem feciſſe, vt malo ſucco venas expurgaret. hic enim cum venam tundi iubent medici, non faciunt eo, vt impuritate ſanguinem liberent: ſed quatuor aut *plures eius* miſſionis ſanguinis cauſas habent. Quarum *prima ſit*, vt ſublata aliqua vitioſi ſanguinis portione, natura minori negotio, quod ſupereſt, concoquat. Galenus cum libro vndecimo methodi non modo in ſynochis febribus, verum etiam in aliis omnibus, quas putreſcens humor concitat, iubet venam incidi, facit id eo conſilio, vt leuata aliqua ſui oneris parte, natura, facilius cõcoquat & vincat quod reliquum eſt. *Secunda*, vt imminuta ſanguinis copia, vis medicamenti, quæ a natiuo calore in ventriculo ſuſcitatur, facilius in venas ad humorem noxium feratur, eumque nullis impedimentis in abdomen eadem venarum via reducat. Atque id adeo, vt hæc ſanguinis detractio vice præparantium in ſubito potiſſimum & præcipiti morbo fungatur. Nam quæ

*Multas ob cauſas in cacochymia venam ſcindunt medici.*

*Prima cauſa.*

*Secunda cauſa.*

commoda a præparantibus medicamentis, dum humores attenuant, & corporis vias obſtructione ſoluta expediunt, conſequimur, eadem prope ab oportune detracto ſanguine percipimus. Dum enim ſanguinis copia in venis minuitur, venæ patentiores redditæ & medicamẽtum admittunt facilius, & humores vt attenuati, minus ægre trahenti cedunt medicamento. neque enim a miſſione ita premuntur & coërcentur in ſeſe humores, vt ad eorum correctionem vis medicamenti facilius non pertingat. *Qua de* causa Galenus, vbi ægro robur non deeſt, ſecandam venam ſuadet, etiam ſi nulla adſint plenitudinis ſigna: præſtat enim, ait, vitioſi ſucci maiore parte emiſſa, ad detergendas obſtructiones accedere. Sic initiis febrium & præſertim continuarũ, quarum putredo in venis coercetur maioribus, bene & vtiliter materię morbum facientis portio venæ ſectione tollitur, cum, vt facilius, quod ſupereſt, domat natura, tum etiam vt ad humoris noxii reliquias medicamentum meet facilius. *Sed ne id quidem* nõ in circunſpecte aut incõſiderate

*Gale. lib. 8. metho.*

*Quid notandum dum venam in cacochymia ob dictas cauſas ſcindimus.*

ſiderate faciendum. Nam ſi conſtet primam regionem, quæ fere ſentina omnis impuritatis ſolet eſſe, quadam cacochymia occupari, huic antequam ſit proſpectum, ſecundam per venæ ſectionem tuto aggredi non poteris: niſi velis corrupto ſanguine detracto, impuriorem e prima hac regione & viſceribus continuo ſuccedere. Ideoque ſi morbus fecerit inducias, lenibus, benignis & huic regioni primæ conuenientibus medicamentis prius vtendum erit, inde ad venæ ſectionem veniendum, vt in febribus quartana, quotidiana, & interdum tertiana, continuis. Quod ſi ne id quidem, ſed morbus præceps fuerit, erit clyſtere aut tota hæc impuritas, aut certe eius quantacunque poterit pars ante venæ apertionem, tollenda. Secta autem vena, impuritatis reliquiæ purgante medicamento educendæ erunt, quæ hac imminutione, in vaſis cōfertæ quam antea minus, facilius trahens pharmacum ſequentur. Atque hæc eſt prima & ſecunda in cacochymia mittendi ſanguinis circunſpectio & conſideratio. *Tertia* ſequitur, qua cauent medici ne

*Tertia cauſa mittendi ſanguinis in cacochymia.*

venarum ſucci tanta copia accreſcant, vt ex ea immodica ægri in certum vitæ periculum deueniant. Fit enim ſæpius in eiuſmodi plethorico habitu, vt aut vas aliquod rumpatur, aut natiuus calor ſtranguletur. Rumpitur vas plenitudine nimia, atque eadem natiuus calor ſuffocatur: dum preſſis & in ſeſe coactis venarũ ſuccis obſtructio tanta eſt, vt calor natiuus tranſpirare & ventilari nequeat: vnde refrigerio deſtitutus ſuo diuinus ille calor hebeſcat continuo & exſtinguatur. Accidit nonnunquam id quoque in cacochymia, cum vacuatio quędam ſolemnis neſcio qua de cauſa ſupprimitur. Cuius rei rationem videtur habuiſſe Hippocrates, cum morbos, quos antea recenſuimus; & præſertim hydropem venæ ſectione curauit. Hydropem inquam, non omnem, ſed eam quæ a ſanguinis in hepar redundantia eſt. Nam cum hydropem, dum in intẽtione eſt, vult venarum internarum ſectione curari, ſatis indicat non intelligendum id de quouis hydropis genere, ſed de eo qui a remeante in hepar ſanguine fit, quod leucophlegmatiam

tiam dicimus. Hæc enim aut ſuppreſſis hæmorrhoidibus,menſibus, aut conſueta aliqua euacuatione generari ſolet. In quo, ait Galenus,libro de venæ ſectione aduerſus Eraſiſtratum, Hippocrates cõmendat merito euacuationem ſanguinis per conuenientia loca,cum nimirum cõtrariorũ contraria remedia exſiſtant. Natura quippe inediam adiectione, repletiones euacuationibus, frigus calfacientibus, calores refrigerantibus curat. Quod ſi hic religioſius,quia morbus ſit a cacochymia, ſanguinis miſſioni parcamus, huius morbi cauſam primam & præcipuam,quę eſt a nimia iecoris &venarum refrigeratione, augebimus. Siquidem omnis nimia ſanguinis exſuperãtia calorem natiuum obruit & ſtrangulat, hepar obſtruit,ſcirrhoſumque reddit, vnde tenuis, ſeroſus & aqueus humor, vera leucophlegmatiæ cauſa congeratur.Sic medici conuulſionem,non quæ ab inanitione fuerit, ſed quæ a repletione, ſanguinis miſſione curant. Humore enim nimio imbuti nerui, perinde ac cythararum cordæ tendũtur, vnde in proprium prin-

cipium muſculi contrahantur. huic autem malo ab humorum copia orto medearis, ſi plenitudinem qualemcunque puram aut impuram vacuaueris, vt nulla hic ratio cacochymiæ, ſed detractionis eius humoris, qui nimius eſt, habeatur. Porro plenitudinis vtriuſque duo hęc etiam cenſentur incommoda: aut enim ad innatum vnicuiq; parti calidum aditus intercluditur calori influenti dicto, ſine quo innatus diu in ſuo ſtatu conſiſtere nequit: *aut etiam*, quia, vt ait Galenus, refertæ venæ non habent, in quo diſtributum alimentum recipiant, & nihil ſolidis partibus adiici poteſt eorum, quæ natura perpetuo per alimenti concoctionem, adiectionem, agglutinationem & aſſimilationem molitur. Ideoq; medici volunt hãc plenitudinem etiam impuram haud cunctanter ſanguinis detractione ſolui.

*Comment. in Aphor. 3. lib. 1.*

*Quarta cauſa.*

*Porro accedunt* quarto loco quædam mala, quibus vt eant obuiam medici, etiam in cacochymia ſanguinis detractione vtuntur. Cum enim exeſis, ruptis, aut apertis vaſorum oſculis, extra venas ſanguis exilit, & in imbecilliorem corporis capaci-

capacitatem influit, in qua, quod inſoliti aluei finibus non coerceatur, putreſcit, is retrahitur in venas & eius impetus ſiſtitur venæ ſectione, nec non etiam, ſi concitati vehementius humores in principem aliquam partem non ſine periculo ferantur, eadem via & methodo reuellentur & retrahentur in venas, nempe vaſorum per ſanguinis miſſionem depletione: qua præterea ferocientis ſanguinis impetus ſedari & cōpeſci ſolet, &, quod in eo calidius eſt, moderata refrigeratione temperari. Sic in carbunculis, furunculis, incipiente tabe, ſanguinis ſputo & vomitione, ſanguinis e naribus, vtero, hę-morrhoidibus eruptione, in omni per corporis ſumma efflorefcęnte rubore, vena tuſa fluxionis impetum ab incepto reuocat curſu & ſiſtit. Sic in contuſione, dolore, ardore & fluxione omni, quæ partis alicuius phlegmonem minatur, &, vt ait *celſus*, in omni viſcerum neruorumque reſolutione, rigore, diſtentione, faucium difficultate, ſpiritus ſtrangulatione, ſubita vocis ſuppreſſione in acuto morbo, & intolerabili omni dolore, etiam ſi *Lib. 2. de re medicac. 10.*

in cacochymia ſanguinis penuria, & citra plenitudinem hæc quandoque accidant, non tantum vtiliter, verum etiam neceſſario ſanguis detrahetur. Sic in febribus intermittentibus tertiana, quotidiana, quartana, licet (: vt pleriſque in locis doćte notat eruditiſſimus Fernelius:) eorũ proxima materia, propriuſque fomes nõ ſit in venis maioribus, ſanguis interdum conuenienter mittetur: non quod eius cauſam, quæ non ſit in ſanguine, tollat, aut febrem curet: ſed quod ſublata ſanguinis copia, pericula, quæ ex plethora impendent, tollantur, ſanguis refrigeretur, atq; ita, ſymptomatum ſæuitia miteſcat & coerceatur. *Ergo in his omnibus* non venam tundimus eo conſilio, vt ſanguinem expurgemus, ſed vt prius dicta ſanguinis incommoda ab abundantia vitentur, & purgationi via, vitioſorum ſuccorum reliquiis expurgandis idonea, muniatur: & ſanguis, qui e venis aut erumpit aut effluit, in ſua vaſa retrahatur. Neque enim ſanguinis miſſione cacochymia venarum eximi tota poteſt, ni totus ſanguis miſere profundatur. Siquidem phlebotomia,

*In cacochymia vena ſecatur, nõ vt expurgetur ſanguis, ſed vt incõmoda ab abundantia ſanguinis tollantur.*

botomia, impuritatis quæ in vaſis fuerit, portionem tollit, at non ſynceram, ſed cum reliquo laudabili ſanguine permixtam. Ita enim, ait Galenus, non humor vnus, ſed æqualiter omnes vacuantur. Quamobrem licet in cacochymia nonnunquam vtilis ſit & neceſſaria venæ ſectio, tamen cum periculis, quæ hac cauere poſſumus, itum eſt obuiam, quod ſupereſt, purgatione, vt proprio & conuenientiori remedio, perficiendum eſt.

*Quis ſit detractionis ſanguinis tum in plethora tum in cacochymia modus.*

Cap. 3.

SEd ne id quidem ſatis eſt. Nam etſi vacuitatem, plethoræ remedium proprium & contrarium eſſe ſatis intelligamus, atque etiam interdum in cacochymia ob prædictas rationes, venæ ſectionem, licet minus proprium adiumētum, ſed interim vtile & conueniens, admittamus: non conſtat tamen qua quantitate & menſura extrahi ſanguis in vtriſque &

plethora & çacochymia debeat. Nihil enim in medicina difficilius eſt, quàm poſſe remediorum quantitatem aptam & conuenientem morbis præſcribere. Siquidem, *ait Galenus*, interdum exploratũ habemus, quodnam ægro, quale & quando ſit exhibendum: at quantum exhibere oporteat, nõ nouimus. Et primo ad Glauconem, recta aſſequi coniectura remediorum quantitatem difficile eſt. Attamẽ hæc, in perquirendo huius euacuationis ſanguinis modo, difficultas, nos non debet deterrere & auocare a diligenti inueſtigatione eorum, quæ ad hanc difficultatem tollendam faciant: vt, ſi rem acu (:quod aiunt:) tangere non poſſimus, ad eam tamen quam proxime poterit, accedamus. at difficile eſt, concedo, imo fieri non poteſt, vt quis exacte remediorum quantitatem aſſequatur: ſed nihil impedit tamen quin vel ſuſpicionibus & coniecturis quibuſdam veriſimilibus perſcrutemur ea, quæ nos ad aliquã opportunæ euacuationis cognitionem quodãmodo deducant. Primo igitur detractionis ſanguinis modum medici morborum

*Lib. de vena ſectione.*

rum

rum magnitudine & virium robore metiuntur, vt, ſi ferant vires, ea quantitate remedia exhibeantur, qua corporis *conſtitutio a naturali* ſtatu receſſerit: illo enim receſſu, morbi definitur magnitudo, vt eo morbus dicatur maior, quo de naturali ſtatu deceſſerit magis. Atque morbus magnus eſſe intelligetur aut ex ſe, ex ſymptomatis, aut ex continente ſua cauſa. Ex ſe, vt phlegmone morbus eſt grauior eo, qui ab intemperie eſt ſimplici. Cerebri, cordis, iecoris, nobiliumque membrorum affectio, abiectarum & humilium partium morbis iure cenſetur maior. Ex vigiliarum, dolorum, ſitis, & eorum ſymptomatum, quæ morbos comitari ſolēt, vehemētia & remiſſione magnitudinem quoque morbi definimus. Ex humorib⁹ in vaſis ſanguineis deliteſcentibus, ſi quātitate aut qualitate peccauerint, magnus itē morbus dicitur, eaq; poſtrema morbum magnum efficiens cauſa, eius loci propria eſt, in qua magna euacuatio fieri debeat, màgno videlicet morbo exiſtente, & contra. Morbi autem ab affectione partis alicui⁹, & a ſymptomatis magni in-

*Eo prius habēt ægri, quo longius a ſtatu naturali recedunt.*

dicati, eadem methodo non curantur. Nam etiam ſi ratione generis & ſymptomatum magni cenſeantur, non propterea concludemus his magnam deberi euacuationem. Magnitudo enim, magnorum remediorum oppoſitione curatur quidem, ſed nõ quæ in euacuatione proprie conſiſtat. Morbi omnes, qui cor, cerebrum, & partes corporis nobiliores inuadunt, quos nullus non magnos dixerit, etſi interdum aliqua vacuatione egeant, tamen non ea ſolum (: vt quæ fiat tantum per reuulſionem & deriuationem mediocrem:) ſed conuenientibus remediis quæ eas roborent, multo magis curabuntur. Neque eorum magnitudo vacuatione magna, ſed partim vacuatione, partim aliis remediis, & quæ partium intemperiem corrigant, & quæ totius ſubſtantiæ proprietate eas iuuent, curabuntur. Sic, a corde noxia depellent mediocris eius humoris, qui forte eam infeſtabit, vacuatio, alexiteria, &, quæ partis etiam eius intemperiem corrigent. Sic ab illuuie expurgato cerebro, reliquum curationis, roborantium & alterantium ope

pe perficietur. In hac autem poſtrema cauſa, in qua humorum & quantitas & qualitas morbi magnitudinem facit, huius ſoluis humoris conuenienti euacuatione curatio abſoluitur. Hæc autē quantitas magna erit, ſi plenitudinem ſummā & magnam puri ſanguinis copiam inuehat, qualitas ſi cacochymiam & malos ſuccos. Cauſis igitur iſtis eiuſmodi exſiſtentibus, paria & ad hoc propulſandum malum conuenientia, pari quantitate remedia præſcribi debent. Erunt autem paria his humoribus remedia, quæ pro ratione quātitatis & qualitatis eorum, modo plus, modo minus euacuabunt. *Hæc autem* humorum in vaſis conditorū quātitas & qualitas ſola efficit, vt quidam largam ſanguinis euacuationem, alii ne mediocrem quidem ferre poſſint. Nam etſi multæ ſint cauſæ, quibus quis magnam ſine incommodo venæ ſectionem, alius autem eam vel minimam vix ſuſtinere queat: nulla tamen potior eſt, & quæ pluris ſit momenti, quam ſanguinis copia & inopia. Venoſi & quibus ſanguis venas copia diſtendit, non dubium eſt quin li-

*Sanguinis in vaſis copia & inopia efficit vt quidam largā, alii ne mediocrem quidem ferant euacuationem.*

beralem ſine damno ferant euacuationem. At in cacochymia & bonorum ſuccorum inopia ſi quis idem tentet,non poterit curationem contra legitimam medendi rationem initam ad felicem exitum perducere: ſiquidem plenitudinem, depletione: quod inane eſt, contraria repletione medici curare ſolent. Botallus (:quo, recentiorum nullus ſanguinis miſſioni magis, opinor, indulſit:) non ita totus eſt in perſequenda hac liberali venæ ſectione, vt nullam in ea varietatem agnoſcat, & non quoſdam vno, alios alio vacuandi modo curet. Docet enim in ſuo de curatione per ſanguinis miſſionē libro, quoſdam eſſe quos parcius, alios quos liberalius euacuare conueniat, robuſtos, venoſos, multi ſanguinis & febre ardente, vel ſynocho laborantes, copioſa ſanguinis miſſione vacuandos eſſe ait. Senes autem, pueros, prægnantes, imbecillos, vacuationi huic inſuetos, parcius. Neque etiam eam indicationem improbat, *lib.9.metho.* *quam Galenus* a diuerſa ſanguinis qualitate ſumit nono methodi, vbi, in ſynochis & continuis à ſanguinis copia febribus, citra

citra periculum adhibendam cenſet vacuationem: quam tamen in aliis a corruptela humorum natis valde periculoſam eſſe ait, vt inde concludat, de integro ſanguine plus detrahere licere, de corrupto & cacochymo, minus. Hippocrates atque idem Galenus (: vt ex pleriſque locis patet:) modum detractionis ſanguinis ab habitu corporis, a morbi magnitudine & humorum copia ducit. In valentibus, venoſis, ſanguine præſertim puro abundantibus, ſynocho laborantibus, ægris denique iis, qui habitu athletico fuerint, largam admittit euacuationē, eamq; nullis aliis finibus, quam lipothymiæ, circunſcribit: lipothymiæ, inquam, non eius quæ ignauiam, timiditatem & humorum acrimoniam, ſed abundantem ſanguinis profuſionem ſubſequi ſolet. Detrahunt igitur multum ſanguinis ab iis qui eo abundant, parum autem a contrariis naturis. Quibus amplæ ſunt venæ, *ait Galenus*, quique modice graciles ſunt, nec candidi & cætera, copioſius vacuabis, contrarios autem parcius. cur ita? quia inquit exiguū habent ſanguinis. Ex quibus omnibus in-

*lib. de vene ſectione.*

telligitur, eos ſibi, tanquam præcipuum mittendi ſanguinis ſcopum, propoſuiſſe, ſanguinis in corporibus quantitatem: vt in plethora purique ſucci copia, in cacochymia eiuſdemque puri ſucci inopia, ſanguis tanta educatur quantitate, quanta magnitudini cauſæ continentis reſpõdeat. His igitur, quod humorum quantitati quærendum ſit remedium, perſpe-ctum ſatis habemus: ſed tamen nondum conſtat quam longe lateque patere humorum euacuatio, quibuſque circunſcribi definirique terminis debeat. Neque enim ſatis eſt noſſe, multis humorib⁹ multam euacuationem deberi, ſed ad quos vſque fines pertineat, explicatum iam & exploratum nobis eſſe debet: ne, ſi vltra fines progrediatur, & citra eoſdẽ reſiſtat, damnum, quod poſt ſarcire difficile ſit, inferat. Etenim vt in eiuſmodi euacuationibus ad optatum ſcopum non perueniſſe graue eſt, ſic conſtitutos fines traieciſſe, grauius. Nam, *vt ait Cicero*, in omnibus rebus videndum eſt quatenus. Etſi enim ſuus cuique modus eſt: tamen magis offendit nimium, quam parum. Ne igitur in ali-

*De oratore ad Brutum.*

in aliquem errorem imprudentes deferamur, neue vltra aut citra venæ ſectionis certam legem conſiſtamus,nos, quãtum in venis ineſſe poſſit ſanguinis, de medicorum ſententia coniiciamus. Quod ſi vtcunque nobis cognitum fuerit, certius iudicabimus quouſque progredi in ſanguinis detractione debeamus. *Galenus quendam* magna oculorum inflammatione affectum, a quo Eriſtratei ſanguinem mittere recuſarant,ſe in priſtinam ſanitatem reſtituiſſe dicit, detractis primo ex humerali vena libris ſanguinis tribus, & horis aliquot poſt libra vna.Idem eodem libro detractas quibuſdam ſanguinis ſex libras fuiſſe aſſerit, ſine vlla virium iactura,magno autem ægrorum commodo:ſiquidem hac ratione, vehementis febris exſtinctum dicit fuiſſe incendium.Et cõtra aliis ſeſquilibram tãtum non ſine magno detrimento detractam. Vnde, duo colligere poſſumus, ſanguinea vaſa non tantum ſex libras ſed aliquot pręterea ſuo complexu continere.Item in omnes eandem vacuationis rationem & modum non conuenire. Cum igitur non dicit ex- *Lib. de vena ſectione.*

hauſtos ſanguine eos a quibus ſex ſanguinis libræ fluxerint, ſatis oſtendit naturam, bonam aliquam partem eius ad ſui nutritionem, ea, qua ſolet, auiditate retinuiſſe. neque enim totus profundi potuiſſet ſanguis, ſalua & incolumi vita. Vnde ſequitur in nullum iniurioſos futuros nos, ſi de tanta ſanguinis copia ad libram vnam vel duas, ſi morbus exigat, in nonnullis detrahamus. Cæterum, cum ſeſquilibrã in quibuſdã eductam nocuiſſe videmus, diſcimus non tantum habendam rationem eius quantitatis ſanguinis, quam venas continere, ex probatis locis collegimus, ſed etiam qualitatis. Quantitas autem monet, ne parcius aut minus æquo, venæ ſectioni indulgeamus, ſed, pro ratione maſſæ totius, tantum, quantum morbus ferat, detrahamus ſanguinis. Nos detractionis modum non egreſſuros, ſi de ſeptem aut octo libris duas, poſtulante morbo, ſubduxerimus, eoſque duarum librarum terminos non videri neque longius neque propius æquo conſtitutos. Si qui ſint tamen, qui hos detractionis ſanguinis fines ad libras tres produci

duci velint, conſiderent in Gallorum noſtrorum gratiam hæc potiſſimum dicta eſſe: qui auctore *Galeno*, eo quod carne molles ſunt, non tantam vacuationem ferre poſſunt. Qualitas vero indicat non ab officio diſceſſuros nos, ſi ad diuerſas naturas plethororum & cacochymorum attendamus. Nihil enim eſt, quod in hac euacuatione ſanguinis, ſit potius cauſa varietatis tantæ, quam aut ſanguinis paucitas aut copia, vt diximus, quæ ex qualitate ſanguinis oriuntur. Etenim ex æqualiter aucto & in debita proportione & puritate conſiſtente ſanguine, plethora exſiſtit, vt ex vnius ſucci accretione cacochymia. Quæ duo non eſſe eodem modo & libertate eadem euacuanda, propter ſuccorum inęqualitatem, dicimus. In plethora & morbis ab abundantia ſanguinis, licet ad animi vſque deliquium ſanguinem mittere, vixque in ea detractionis modum potes egredi. Venæ enim copia nimia diſtentæ antequam ad mediocritatem reducantur, magnam ab humoribus vacuationem & vnius aut duarum librarum depletionem ferent. In cacochy- *Lib. de vena ſectione.*

mia autem (:etſi interdum, ſi ad ſanguinis quantitatem ſpectes, parum differat a plethora:) quoniam non eſt ea, quæ in plethora partium, bonitas, eaque puritate & copia multo eſt inferior, par ſanguinis detractio eſſe non poteſt. Neque hæc a paucis animaduerſa cognitio, qua venas, plures ſanguinis libras continere certum eſt, nobis imponere debet. Quæ etſi nos in eius detractione non ita timidos, vel etiam in cacochymia reddat, tamen quoniam vires, quæ a partium bonitate, plenitudine, boni ſanguinis copia potiſſimũ proficiſcuntur, hic ſuſpectæ eſſe debent, vidẽdum ne etiam in cacochymia, quod in puri ſanguinis copia, nobis licere arbitremur. Denique, ſi attente Hippocratis & Galeni ſcripta legamus, videbimus eos, ſi non expreſſe, at re ipſa tantæ varietatis in toleranda ſanguinis miſſione cauſam ad ſanguinis qualitatẽ referre. Qualitatem autem dico, ſanguinis puritatem & impuritatem: vt paſſim doceant, liberalem, per miſſionem ſanguinis, vacuationem ferre eos, quorum natura ſit ea, vt puros & incorruptos ſuccos, vnde exſiſtat

ſiſtat plethora, facile proferat. Alios eam non ſine detrimento ferre poſſe, qui ad corruptorum ſuccorum generationem, cacochymiæ auctorem, propenſi ſint.

*Sed hæc* de miſſione ſanguinis generali tum in plethora, tum in cacochymia hactenus. Sequũtur tam ſpecialia quædam, quæ, quo minus ad præſcriptos fines euacuando medicus vel etiam in plethora perueniat, interdum impediunt: nempe natura ęgrotantis, conſuetudo, ætas, tempus, locus, regio. In natura, ætate, conſuetudine conſiderandum, quo ſit æger habitu corporis, calido ne, an carne molli, habeatne ſenſum doloris exquiſitum, ſitne puer an ſenex: poſtremo, huicne vacuationi aſſueuerit, an non? In regione, tempore, & loco, ad eorum temperaturas attendendum eſt, & videndum calidæne ſint, an ſiccæ? Quod ſi ita eſt, & eiuſmodi ægrorum naturæ, locorumque & temporum temperaturæ deprehendãtur, certum eſt hac natura & hoc tempore ægros reſolutionibus maxime obnoxios futuros. Proinde ægre laturos vt ab his tam large & liberaliter ſanguis detra-

*Plethora & cacochymia modũ euacuationis licet indicent, hunc tamen quæ ſequuntur nonnulla, interdum interturbãt.*

hatur, quam fortaſſe plenitudo deſideret. Sic a repletione conuulſionẽ, ſanguinis miſſione curari, nemo neſcit. Sed quoniam in ea cerebrum afficitur, vnde ſudores & vigiliæ, quæ ægrotantis vires affligant: ideo non tanta vacuatio eſſe debet, quantam morbus expoſcit, ſed ad virium tutelam aliquid concedendum & reponendum eſt, quod (ſymptomate de vehementia remittente.) tuto poſtea auferri poſſit. Sic vbi vehementes vigiliæ, dolor grauis, & ieiunia vires demoliuntur, in calidis & ſiccis naturis vacuationi integræ temperãdum prudentiſſime docet *Galenus*, vt & etiam conſuetudini non parum tribuendum, quam ad omnia alia tum præcipue ad euacuationis indicationem non eſſe parui momenti aſſerit. Ægri etiam tolerantia, eodem auctore, eſt expendenda. Ad hæc in mentem venire debet eiuſmodi naturæ calidæ & ſiccæ, carneque molli ægros, & eos qui exquiſiti ſenſus fuerint, parumque huic remedio aſſueuerint, plerunque molles & effœminatos eſſe, eoſque magnis animi motibus & perturbationibus præter cæ-

*Lib 1. ad Glauc.*

teros

teros commoueri ſolitos, vnde facile in deliquium animi incidant. Ideoque *Galenus* monet, vt, ipſo venæ ſectionis tempore, animos ad multa attendamus, & ad mutationem coloris, & ipſius ſanguinis & ægrotantis. Item ad animi defectionē, quam in plurimis affectibus, vacuationis terminum obtinere dicit. Item num ſanguis eo quo prius impetu fluere deſinat, num etiam pulſus e valido debilis fiat. tum deniq; enim vacuationem aut prætermittendam aut certe intermittendam ſolum putat, cum & ſanguis & æger colorem mutant, cum aut incidit in animi deliquium, aut pulſus incipit eſſe remiſſior, & ſanguinis fluxus ſolito languidior. Medicis autem iſta omnia perſpecta & cognita eſſe debent. Siquidem eorum partes ſunt (: ſuſceptum munus explere ſi voluerint:) videre, ne ægri in lipothymiam, tam lubricum & periculoſum ſymp oma, incidant. Quod ſi nihilominus immineat, habeant parata omnia quibus huic medeantur, & tam periculoſum malum ab ægrorum capite depellant. Huic vero animi deliquio remedia

*Lib. de venæ ſectione aduerſus Eriſt.*

ſunt, ſermonis medicorum ſuauitas, quo ægrorum prope concidentes animos exigant, eoſque bene de morbo ſperare faciant. Externa etiam proſunt, maxime in eiuſmodi affectibus adhiberi ſolita, aqua, vinum, acetum, & cętera eiuſmodi. In his omnibus medicum diligenter exerceri oportet, vt ſciat, ſintne ea quæ omnino a ſanguinis miſſione dehortentur, aut ab abundanti abſtineri iubeant, an vero doceant tantum in aliud tempus opportunius differendum? Quod ſi extrahendus fuerit, videant quatenus detractio progredi debeat. Ea omnia a nobis ſi, vt decet, expendantur & æſtimentur, modum vtique detractionis ſanguinis, non eo, quod cuique noſtrum viſum fuerit, ſed firma, &, quoad poteſt, conſtanti norma metiemur.

QVIS

# QVIS SANGVIS MINORI CVM PERICVLO VENÆ SECTIONE DETRAHATVR E vaſis, purus an impurus?

## SECTIO TERTIA.

*Quod impurus ſanguis non ſine diſcrimine educatur e venis per phlebotomiam.*

### Cap. I.

NOSTRO ſeculo, neſcio etiam an præcedenti per hominum animos non ferenda hæc peruaſit opinio, bene conſulere medicos ægrorum rebus, ſi quando ſanguis, quem extrahi iubent, refrigeratus, impurus & valde corruptus appareat, vt contra, ſi purus, eoſdem eſſe non leniter accuſandos. *Siquidem* arcte tenet vulgus, accurateque defendit vitioſum ſanguinem ſolum ve-

*Vulgus putat impurũ ſanguinẽ potius venæ ſectione vacuandũ, quã purum.*

næ ſectione detrahendum, non eſſe autem ferendum vt incorruptus & laudabilis ſanguis e venis detrahatur. Sic enim apud ſe ratiocinantur, corruptos in vaſis ſuccos vt toti corpori moleſtos, ſic probos, ei alendo vtiles & neceſſarios eſſe. Ideoque dum concludunt corruptos, vt inutiles, tollendos, ſimul de venæ ſectione cogitant, quaſi ſit hæc ſola & conuenientior ratio, qua, corrupto ſanguine venæ liberari poſſint. Quod ad incorruptos ſuccos attinet, non venit illis in mentem cogitare, poſſe vllo modo corpori moleſtos eſſe: ideoque bene functos officio medicos iudicant, qui vitioſos ſuccos liberalius, bonos vero parcius venæ ſectione eduxerint. At quoniam hac diſputationis noſtræ parte tertia docemus, quis ſanguis minori cum periculo & commodo maiori detrahatur e venis purus an impurus: docendum quam longe a vero ij aberrent, qui putant commodius & aptius eſſe, ſi impurus ſanguis potius, quam purus venæ ſectione educatur. Dicemus igitur non ſine periculo cacochymiam e venis, venarum ſectione extrahi, conabimurque

murque ex imperitorum animis hanc opinionem delere, qua putant fieri ægro iniuriam, ſi ex eo purus & non corruptus ſanguis detrahatur. Ergo vt ad rem veniamus, dicimus cacochymiam, venæ ſectione, e venis non ſine periculo elici, & quia *non poteſt* hac ratione educi ſola, & quod fit cacochymis iniuria, dum hoc euacuandi modo, æque bonus atque malus ſuccus emittitur. Fatemur vitioſos humores, vt corpori pernitioſos, aliqua via & ratione eximendos eſſe, ſed ea idonea, & conuenientiori contendimus: atque etiam cum Galeno, Hippocrate & aliis medicis non venæ ſectione, *ſed purgatione* fieri id debere demonſtramus, cuius *proprium ſit*, non, vt venæ ſectio, promiſcue humores omnes, ſed ſeparatim noxios, ſubſtantiæ proprietate euacuare: nimirum cum, *quod ſecundum* naturam ſe habet, cuſtodire, quod vero præter naturam, tollere tantum expediat. At corruptum ſanguinem e venis venæ ſectione extrahere, puro intacto, nemo poteſt: ſiquidem vt docet Galenus libello præcedenti, per detractionem ſanguinis, æ-

*Cacochymia venæ ſectione nõ corrigitur.*

*Proprium cacochymiæ remedium purgatio.*

*Galen. lib. de purgan. medic. facult.*

*Gal. lib. 1. metho.*

qualiter omnes, qui in venis ſunt, humores vacuantur puri & impuri. Cacochymiam igitur ſi quis hac mittendi ſanguinis ratione *euacuare tentet*, non faciet vtique id, quin in ſummum ægros diſcrimen adducat. neque enim inutiles hac ratione ſucci, vtilibus intactis, detrahi poſſunt: vnde periculum ſummum inferatur ægris, & damnum quod ſarcire difficilimum ſit. Etenim ſi attentius conſideremus, quam ſit debilis cacochymorum calor, quam parum valeat ad boni ſanguinis, in deperditi locum, reſtitutionem, quo hepate, & quibus aliis facientibus ad puri ſanguinis generationem partibus: comperiemus profecto his omnibus nihil prius aut antiquius eſſe debere, quam vt eorum ſanguis, tanquam theſaurus, quo in rerum natura rarius & pretioſius nihil ſit, conſeruetur. Conſtat enim inter eruditos medicos cacochymiam omnem atque ſuccorum impuritatem a vitioſa viſcerum affectione potiſſimum proficiſci. Si ergo quibuſdam iecur, lien, ventriculus inquinetur, certum ſit nobis, eos, etiam ex puro & temperato alimento

*Cacochymiam qui tentant per venæ ſectionem educere, faciunt iniuriã ægrotis, dum purum ſanguinem, quo egent, cũ impuro euacuant.*

alimento nullos humores ſuccoſque nõ ſui ſimiles prolaturos, id eſt corruptos, & in quibus parum boni ſucci ſit. Quod ſi ita eſt, & parum habeant puri ſanguinis cacochymi, eorumque natura ea ſit, quæ vix poſſit, pro deperdito bono ſucco, alium reponere: nonne magna illis a nobis fiet iniuria, ſi in ea boni ſanguinis penuria vel tantillo bono eo ſpolientur? Adde etiam quod vena ſecta, non ſolum boni & mali ſucci promiſcue effluunt, ſed etiam vitales illi ſpiritus (: quibus natiuus ille & diuinus noſter noſter calor ſuſtentatur:) non poſſunt cohiberi, quin ſimul cum ipſo ſanguine elabantur.

Quocirca, quando per venæ ſectionem in vaſis retineri purus ſanguis non poteſt, quin ſimul cum corrupto erumpat: alia ineunda ratio eſt, qua corruptus tantum, puro intacto, extrahatur. Quomodo autem fiat id facile, antea multis ſatis docuimus, cum in eo purgationem redundãtib[9] ſuccis accommodatã adhibendã *cũ Galeno contenderemus.* Igitur, niſi in cacochymis ſanguinis miſſio valde neceſſaria ſit, & iis rationibus, de quibus an- *Gal. lib 13. metho.*

tea diximus,facta,flagitium eſt,mihi crede (: ſic enim de re tam multis pernitioſa loqui lubet:)eam in eiuſmodi ſucci naturis vſurpare. Neque enim eſt quod quis dicat has in cacochymis & a cacochymia febribus euacuationes prodeſſe viſas, & euentu aliquo proſpero rem probare nitatur. Non enim nego poſſe id accidere nonnunquam, præſertim in illis, in quibus venæ ſectio adhibetur, non ratione cacochymiæ aut febris, ſed propter alias cauſas, quæ venæ ſectionem etiam in cacochymia, vt diximus, indicant. Accidere etiam idem poteſt iuuenibus, vt non tam cito damnum inde contractum ſentiant. In penuria autem caloris natiui in imbecillibus, vt ſenibus, & aliis, ſi quis hanc euacuationem inconſiderate tentauerit, calorem non vegetum vel minimo flabello exſtinguat. Denique in quibus cacochymis prodeſt hæc euacuatio, non per ſe id, ſed per accidens fieri ſolet, ſublata nempe aut venarum obſtructione, qua externus & aduentitius contra naturam calor refrigeretur, aut viæ patentiores redditæ cohibitos prius obſtru-

ctione

ctione humores relaxēt, vnde vtiles ventris fluxiones, ſanguinis e naribus, vtero, & aliarum partium eruptiones interdum oriantur. Hæc commoda ſi forte importunam ſanguinis miſſionem non ſequantur, effœta naturæ virtus & debilitata, facile inuadenti cedet morbo, aut certe in diuturnum & moleſtum tempus proferet, vnde ſe vix redimere æger queat. Quis ergo non videt non ſine periculo impurum ſanguinem venæ ſectione detrahi, & in quæ incommoda incurrant noſtri hæmatotraſces, dum hac ratione præſens vitare periculum tentant? Quare, non eſt quod, vt quibuſdam vſu venire ſolet, nobis hæc corrupti ſanguinis profuſio arrideat. Illi enim cum magnā eius copiam extractam vident, lætantur, vtilius & ſalutarius eſſe ægro, vt eiuſmodi ſanguis extra quam intra venas ſit, prædicantes. Equidem ſatius eſt, concedo, vt corruptus ſanguis ſit extra vaſa, quā ſi in illis contineatur, neque id eſt quod nobis moram affert, ſed quo euacuationis genere fieri id debeat, eſt merito inter nos dubium & controuerſum. Nam cum (vt

ſæpius diximus:) fieri non poſſit, vt euacuatione illa quæ fit per venę ſectionem, non æque bonus atque corruptus ſanguis effluat, iure hanc purgandi ſanguinis rationem deteſtamur, deteſtamur inquã; vtar enim lubens hoc qnantunlibet moleſto verbo, in re licet quibuſdam iudicata leui. Nam etſi primo leue videatur illud de quo agimus: non eſt tamen leue iudicandum quod ſalutem hominum in diſcrimen adducit.

*Quod ægri, puri ſanguinis etiam liberaliorem euacuationem ſine periculo ferant, & ſanguinem incorruptum potius quam corruptum miſsione ſanguinis eſſe euacuandum.*

Cap. 2.

CÆterum de puri ſanguinis euacuatione eſt contra ſentiendum. Fallitur vulgus, dum impurum ſolum ſanguinem, vt naturæ inimicum, educendum putat: Quaſi e puro ſanguine nullum corpori damnum afferri poſſit. In quo quan-

tum a vero aberret, ſatis notum eſt iis, qui ſciũt quam periculoſa ſit athletarum εὐεξία & quam eiuſmodi e puro ſanguine plenitudo, in quouis homine parum tuta. Quum enim hoc ſanguine vaſa tument, periculum eſt, vt nimia diſtentione rumpantur, & viarum coarctatione tanta obſtructio fiat, vt, natiuo calore exſtincto, repẽtina & inopinata mors conſequatur. *Corpus enim* dum infartum & minime *Gal. lib. 2. de differentiis febrium.* peruium plenitudine eſt, perflari & ventilari nequit. vnde fit vt natiuus opprimatur calor, perinde vt nimio oleo lucernæ flamma. Quare non ſine cauſa vult Hippocrates periculoſum & lubricum eiuſmodi *affectum* ſine mora ſolui. Porro Ga- *Aphor. 3. ſect. 1.* lenus in nullo alio morbo maiorem requirit & copioſiorem venæ profuſionẽ *quam in eo*, in quo minus corruptus eſt, vt *Gal. 9. metho.* in ſynocho non putri, vbi vult vel ad animi vſque deliquium ſanguinẽm educi. Qua in febre, nullum, præter obſtructionem, vitium agnoſcit: vt nihil in eius curatione, vltra abundãtem euacuationem requirat, quam humorum æſtuantium refrigerationem: quam in maximis eiuſ-

modi febribus frigida fieri permittit: cum in pulſu & vrinis euidentes ſunt concoctionis notæ, firma ſunt & valida ſine dolore, obſtructione magna, ſine tumore & abſceſſu viſcera, corpus carnoſum, & hinc aſſuetum potioni. Si enim intempeſtiue & his cautionibus non fuerit exhibita frigida, lentos & craſſos humores attenuari digeriq; prohibebit, & imbecillas corporis particulas concutiet, ait Galenus libro nono methodi. Ergo etſi continuis febribus perfugium & præſidium ſummum, *Galenus* miſſionem ſanguinis eſſe dicat, vel vſque ad animi deliquium factam: tamen id potius conuenire continenti huic, in qua humores adhuc integri & incorrupti perſiſtunt, quam alteri, cui putredo aliqua ſuperuenerit, ſatis indicat. Sic enim paulo poſt eodem in libro ait, *In ſynochis* febribus ex meatuum ſtipatione ortis, quoniam valida plerunque virtus eſt, citra periculum vacuatio adhibetur: in aliis vero, quæ ex corruptela humorum gignuntur, exſiſtit maxime periculoſa. Vtrunque hoc febrium genus largam requirit vena ſecta euacuationem, quia

*Lib. nono metho.*

*Galen. lib. 9. metho. In febribus a plenitũdine citra periculũ vacuatio adhibetur, in aliis ex putrefactione eſt maxime periculoſa.*

quia eos duntaxat inuadit, qui habitu ſunt carnoſo & vere quadrato, & quos plethora, id eſt æquabilis ſuccorum premit redundantia, ſed cum alterum illorum, obſtructionibus, quibus ventilatio & tranſpiratio inhibetur, a ſua puritate deficit ad putredinem: hac humorum impuritate oppreſſæ vires tantum, quantum antea, a venæ ſectione impetum ſuſtinere non poſſunt. Ex quibus intelligitur, non eſſe temere in aliis a cacochymia febribus decernendam venæ ſectionem, cum in hac, quæ a plenitudine & redundantia humorum eſt, non ſit æque tuta, atque in priore, pura adhuc exſiſtente. Etenim ſi habendam eſſe rationem virium vbique vrgeat Galenus, & putredine, vt idem ſignificat, vires debilitentur maxime: ecquis, ſi hęc conſiderauerit, in cacochymia, in boni ſanguinis inopia, venæ ſectionem temere & nulla circunſpectione decernat? Nam ſi vires imbecilliores dehortantur, *ſanguis mittendus non eſt*, ſed deiectione mediocri vtendum. Attamen nulla earum rerum ratio hodie habetur. Neque enim vulgarium medico-

*Gal. lib. 4. de ſanitate tuenda.*

rum & barbitonſorum opinio ea eſt,quę Galeni. Illi ex vulgi ſententia putant,plus vtilitatis redire ad ægros ab impuri,quam a puri ſanguinis detractione. Galenus contra puros *ſuccos commodo* maiori & minori periculo quam impuros detrahi iudicat:vt non queam ſatis mirari, qui fiat, quod peruerſa hæc opinio tam altas in nonnullorum animis egerit radices, vt putent cacochymum ſanguinem tutius extrahi,quam purum.Eſt enim in noſtris moribus, vt, ſi quando ſanguis extractus, frigore concreuit, liceat aſtantibus protinus iudicare, bonuſne an malus ſit. qđ ſi bonus, & cuius ſuperficies ſit ſanguinea, non bene conſultum ægroti rebus nullus eſt qui non dicat:ſin contra malus, a ſuperficie non ſanguinea iudicetur, agitur de iteranda ſanguinis miſſione: atque etiam eouſque quorundam vecordia & fatuitas progreditur, vt de tertia, & nonnunquam de quarta cogitent, quaſi quo corruptior ſanguis eſt, eo potius ſit eius vacuationi indulgendum. Longe autem aliter ſentit eruditiſſimus Fernelius, qui libro ſecundo methodi capite 17. ſic diſſertis

*Gal. lib. 9. metho.*

ſertis verbis ait, non quo impurior ſanguis aut crudior alienior ve a ſua natura longius deſciuerit, eo plus detrahes, vulgarium & malorum medicorum more: ſed quanto humores vltra citraue ſanguinis naturam citius receſſerint, tanto parcius & cunctantius hauriendum de ſanguine: quumque longiſſime ab eius forma abeſſe deprehendetur, in totum erit a phlebotomia abſtinendum. In eadem eſt ſententia Marcilius Cinus, qui lib. de vita humana non vult vnam rationem & modum retineri in detractione ſanguinis in iis, qui melăcholici humoris aliquid philoſophiæ ſtudiis contraxerũt. niſi prius conſtet plethorici ne an cacochymi ſint hi, quorum euacuatio per venæ ſectionem agitur, vt ab iis liberalius, ab illis parcius ſanguis detrahatur, neque pigebit etiam hoc loco Ficini verba aſcribere. Sunt nonnulli inquit, in ſanguine mittendo audaciores, quod medici ſapientes admodum deteſtantur. nam ſanguis eſt atræ bilis temperamentum, ſpiritus fomes, vitæ theſaurus. Solum vero mittere ſanguinem literatis. qui eo abun-

*Errant qui ſumto argumento ab impuritate ſanguinis, de huius extractione cŏcludunt, & contra.*

dant debemus, debilioribus vero & cacochymis mariſcas tantum irritare. Qua in re viri doctiſſimi a ſentẽtia Galeni magiſtri ſui non diſſident & diſcordant, qui, ante quam miſſio ſanguinis fiat, vult haberi rationem quãtitatis & qualitatis ſuccorum in vaſis ſanguineis conditorum, *vt, ſi vtiles* ſucci in illis parua ſint quantitate, magna autem inutiles, nolit venam ſecari: quod ſi contra, boni inutiles ſuperarint, quo propius ad hanc incorruptam ſuccorum integritatem acceſſerint, eo audacius incidẽdam venam monet. Sunt enim hæc ipſius verba: inſpicere vero quantitatem conueniet, vt, verbi gratia, ſi bonus ſanguis exiguus ſit, reliquus vero ſuccus plurimus, vtique in his abſtinendum a detractione ſanguinis eſt: ſin is quidem exiguus, ſanguis vero copioſus, audacter incidenda vena eſt. In eo autem medicorum eſt illuſtris gloria, vt, ſola ſanguinis frequenter iterata miſſione, ægrotos, quibus imminet & impendet mors, contra omnium opinionem, idque ſine periculo, reſtituant. Velle autem ſe eodem modo in cacochymia gerere,

*Gal. lib. 4. de ſanitate tuenda.*

gerere, fieri id ſine magno artis medicæ probro & dedecore non poteſt. Colorem ſanguinis non rubicundum, in ſuprema peluicularum parte exſtãtem, humorum in venis corruptionem non prius ſignificare, quam ita a ſymmeteia receſſerint, in eam vt non redire queant. cap. 3. Sed ex pernicioſo illo errore alter exſiſtit & exoritur. Non enim hæmatothraſibus ſatis eſt in corrupti ſanguinis nimia extractione labi: ſed cum in peluiculis detractum ſanguinem conſiderant, eum plerunque pro inutili habent, qui alioqui vtilis & neceſſarius toti corpori eſſe poteſt. Si enim refrigerati ſanguinis in peluiculis ſuperficiem pallidam & albam eſſe viderint, ilico ſanguinem illum totum extractum corruptum & putrefactum putabunt, & de eius iteranda, ſuo more, vacuatione cogitabunt, ne ſi diutius cum reliquis ſuccis conſiſtat, eos ſua contagione contaminet. Falli eos diximus, qui ab impuritate ſanguinis amplam ſe eius extrahendi occaſionem nactos putant, quaſi ſit hæc expurgandi eius conuenientior via: nunc eos non minus grauiter, errare contendi-

mus,qui,dum non norunt quid,& quando corruptus ſit ſanguis: ilico pro corrupto & contaminato ſanguine ſumunt ſuccum illum,qui ſuam egreſſus proportionem, & quam par eſt, abundantior, puri ſanguinis tincturam reſpuit, ſic, vt refrigeratus alium colorem, quam ſanguineum referat. Equidem non negamus,ſanguinem, qui poſt detractionem, in ſuperficie,colore rubicundus apparet, ſuccorum in vaſis puritatem notare; atq; alios eiuſmodi non paucos in venis ſuccos ſubeſſe, coloremque illum in peluiculis refrigerato ſanguine exſtãtem & eminentem, cuiuſmodi ſint reliqui in vaſis ſucci,iudicare:at non ſequitur tamen, alios omnes in ſuperficie ſanguinis apparentis coloris, ſi a ſanguineo receſſerint, pro corruptis haberi debere. Sed hæc faciliora & explicatiora erunt, ſi intelligamus, quos colores ſinguli ſucci in peluiculis referre ſoleant. Habent enim refrigerati ſuos in ſuperficie ſanguinis colores. *Igitur* extracti dureſcentis ſanguinis color per ſumma rubicundus, boni vtiliſq; ſanguinis eſt index,color citrinus bilem, viridis

*Ferne.lib.2. de metho.ca.2.*

viridis bilem,ſed eam retorridam,liuidus & plumbeus atram bilem: variorum autem humorum permiſtio, non vnum ſed plures ſuccos exſuperare ſignificat. Color autem pallidus & albicans pituitæ exſuperantis indicium eſt. Pituita enim *omnis*, *Galeno* auctore, eſſe debet colore albo, quo crudi & pituitoſi humores tingi ſolent. Et eodem libro Galenus, color, ait, qui mixtus ex albo & liuido eſt, crudos & pituitoſos dominari ſuccos indicat. Hippocrates paſſim pituitoſum & crudum ſuccum, album dicit, libro de affectionibus, & album albo colore corpus tingere ait. At, ne quis putet non ſequi propterea, vt pituitoſus ſuccus, dum in venis ineſt, alium colorem quam ſanguineum & rubrum habeat: addit poſtea, ſanguis a pituitæ copia aquoſior fit, & non ineſt ſimiliter in ipſo bonus color. Idem videlicet accidit pituitoſis quod bile abundantibus vſuvenire ſolet: Bilis enim, cum nimia copia recurrit in venas, totum corpus ſuis coloribus inficit: nulluſque eſt, qui ſi ictericorum, & eorum qui arquato nigro laborãt, colorem flauum, liuidum

*Lib. de atra bile & 4. de ſanitate tuenda.*

& ſubnigrum in membrorum ſuperficie viderit, ſtatim eorum ſuccos in venis flauo, melancholico, & nigro ſanguine infectos non dixerit: ita ſi pituitoſorum humorum ſigna illa in facie aut toto corpore appareant, iure ſanguinem pituitoſum in venis abundantem, album eſſe diximus. Porro quoniam non parum intereſt id ſcire, &, an detracti ſanguinis alba ſuperficies ſit argumentum, in venis pituitoſum ſubeſſe ſanguinem: videndum eſt, ſoleatne detractus ſanguis albus, vel ex albo & liuido mixtus eſſe in iis, quos ad ſuccorum pituitoſorum generationẽ procliues eſſe negare non poſſumus. *Ii autem* pituitoſos eiuſmodi ſuccos edunt facile, quibus hepar & ventriculus frigido ſunt temperamento, qui natiui caloris habent modicum, qui voraces ſunt, qui in locis aquoſis & humidis degunt, qui ſomno & longo & profundo a cibo præſertim indulgent, qui victu pleniore, nondum priore confecto, vtuntur. His ſi detractus ſanguis albus fuerit, non dubium eſt, quin albedo hæc, in ſuperficie refrigerati in peluiculis ſanguinis, ſit humo-

*Gale. lib. de atra bile.*

*Qui pituitoſos ſuccos proferre ſoleãt.*

rum pituitoſorum in venis ſignum certiſſimum. Ergo ſi color eiuſmodi in venis abundantiam pituitoſi ſanguinis arguat: proculdubio viridis bilioſum ſanguinem abundãtem, plumbeus melancholicum eadem ratione ſignificabit. Vt conſtantius multo affirmemus, *In ſuprema* peluicularum parte colorem eſſe exemplum eius ſucci, qui in vaſis ſuperſit, vnde certo diſcat medicus, his vitiis quomodo medeatur. Nam ex eo quod videt colorem ſanguinis eius, cuius formam refert, abũdantiam ſignificare: ſatis intelligit quod hic humorum putredo non agitur, vt eouſque in ſanguinis detractione pergamus, quouſque hæc, quæ (:vt noſtris placet, colore ſe prodit non ſanguineo:) omnino exhauriatur, ſed abundantia vt tollatur, verum ratione non eadem. Nam etſi tres humores, in venis bilioſus, melancholicus & pituitoſus, ſupra modum aucti, ſui ablationem indicent, de pituitoſo autem, & eo, qui detractus, colore albus aut ex albo & liuido mixtus eſt, non eſt ſine magna cautione quidquam detrahendum. Conuenientibus igitur me-

*Detracti ſanguinis color qui in ſuprema peluicularũ parte apparet, eſt eius ſucci exemplum qui in venis ſubeſt.*

dicamentis vtramque bilem (: quam ſolliculus & lien non prolectarint:) ſanguini infeſtam medicus expurgabit: crudos autem & pituitoſos humores modo non eodem tractabit, ſed, ſi quid de illis detrahat, magna id circunſpectione faciat oportet, longe a pernicioſa hæmatotracon opinione recedens, qui ex colore albeſcente, quem pituitoſos ſignificare ſuccos dicimus, magnam humano ſanguine quem ſitire quodammodo videntur ſeſe explēdi occaſionem nactos putant, dum pro ſigno putrefacti ſanguinis, album eiuſmodi colorem habent: quo tamen pituitoſos ſuccos ſignificari, cum Galeno & bonis auctoribus contendimus. Atque hoc potiſſimum fundamento toties iteratam ſuam ſanguinis miſſionem niti volunt, dum eo plus ſanguinis detrahunt, quo a rubro & ſanguineo colore ſucci receſſerint magis, & ad pituitoſum atque albicantem ſanguinem receſſerint. *Cæterum* pituita etſi, dum cruda eſt, vere alimentaria, vt, nec vtraque abundans bilis, dici non poſſit, non eſt tamen excrementitia, quæ ſegregari excludique ſine accurata

*Pituita etſi dum cruda eſt nutritioni ſit inepta, non eſt tamē excrementitia cēſenda.*

rata conſideratione debeat. Ideoque natura (: vt antea dictum eſt:) *vtrique* bili, ſua, quibus expurgentur, inſtrumenta dedit, pituitæ autem, cuius cum reliquos abundantia ſuccos antecedat, ſi inutilis & euacuanda foret, maxime intererat, nullum ſubſidium parauit, quo ad ſui purgationem vteretur. Sed illi ſatis eſt, ſi in vaſis perſiſtens, hepatis calore demum alteretur, & in verum atque alimẽtarium ſanguinem conuertatur. Eſt enim pituita ex frigida chyli portione crudus ſuccus, qui hepatis & venarum virtute concoctus, fit tandem vera ſanguinis portio, & ad nutritionem corporis accommoda. Etenim in ſanguine pituitoſus & crudus humor idem prope eſt, quod in vino noſtris quæ dicitur viriditas, quam paulatim innatus in vino calor ita concoquit, vt quod antea auſterum & aſtringens guſtu compertum erat, tandem maturum & ſuaue, plenum roboris & caloris percipiatur. Ergo is humor longe licet abſit a puritate eius ſanguinis qui bene concoctus & elaboratus eſt, & ſit alimentum ex dimidio tantum coctum: non eſt tamen,

*Gal. lib. de atra bile.*

*Gal. lib. 2. de naturali. facultatibus.*

vt inutile, reiiciendum, cum id tempore per inedias, cibi penuriam mutari, integre concoqui & mutationi aptum reddi poſſit. Porro etſi ingenue fateor eos ſuccos, qui proportionis ſuæ conſtitutos fines exceſſerint, aliqua ratione *corruptos* dici poſſe: non ſunt tamen plane corrupti cenſendi, *ſi non* longe a ſymmetria diſcedentes, ad puritatem redire poſſint. Pituitoſi igitur ſucci non ſolum cruditate (: quę euinci tempore poteſt:) ſed etiam abundantia laborent licet: non ſunt tamen, ſi Galeno credimus, vllo modo vacuandi, neque per purgationem, ſanguinis miſſionem, exercitationem, aut vllum motum: ſed eiuſmodi negotium *frictionibus*, vnctionibus mediocriter calfacientibus, necnon cibis potionibuſque & calfacientibus modicum & humoris craſſitiem incidentibus Galenus tribuit. Neque ſolum vult id fieri, vt libro quarto de ſanitate tuenda docet, in magna ſuccorum crudorum copia, ſanguinis autem puri penuria, ſed etiam (: vt ex libro de venæ ſectione patet:) in plenitudine, ſiquidem fiat a crudis in corpore collectis humoribus, quibus,

*Succi fines ſuos licet excedant, nō ſunt tamen corrupti cenſendi, niſi longe a ſymmetria diſcedentes ad puritatē redire nō poſſint. Galen. Comment. in Aphor. 17. lib. 2.*

*Galen lib de venæ ſectione, & 4. de ſanitate tuenda.*

bus, ſimul cum aliis confuſis, ſanguinis miſſio(:niſi promiſcue puros cum corruptis humores vacuari velis:) conuenire non poteſt, vt nec purgatio, quæ in cruditatibus valde moleſta eſſe ſolet.

Ex his igitur patet duo eſſe, quæ nos in conſideratione pituitoſorum ſuccorũ retinere & morari debent: nempe pituitam e vaſis eductam, ſi a ſymmetria receſſerit, in ſuperficie peluicularum albam, aut ex albo & liuido mixtam apparere, crudos autem & pituitoſos humores, neque ſanguinis miſſione, neque purgatione euacuandos eſſe, ſed eiuſmodi ſuccos naturę concoctioni committendos. vt ſatis mirari non queam, qui fiat, quod vulgi opinionem ſecuti hæmatothraſes, ſuccos in peluiculis refrigeratos ſumma parte albos, aut ex albo & liuido mixtos, corruptorum & putrefactorum humorum loco habeant, *quando color* eiuſmodi, ſit cruditatis non putrefactionis certum argumentum. *Putreſcentis* enim ſanguinis indicium non ineſt in colore, ſed in ipſius ſubſtantia, vt putridus & corruptus non cenſeatur, quod ſit huius aut illius colo

*Refrigerati ſanguinis diſtracti color albus non eſt putrefactionis, ſed cruditatis certũ argumentũ.*

*Putreſcentis ſanguinis indiciũ in ſubſtantia, non in colore eſſe.*

*Ferne.lib.2. metho.c.17.* ris,ſed cuius ſubſtantia *ſit ea, vt,* ſimul atque attingitur, tota in partes exiguas diſſipetur, diſſoluta cum ſit, & minime cõpacta, *ait Galenus.* Quod omnibus ſatis experientia compertum & exploratum eſt. *Gale. lib.11. de ſimpl.medic.facultate.* Multi ſunt quotidie, quibus non febricitantibus,ad præcautionem,aut in alium finem detrahitur ſanguis,cuius ſi ſuperficies conſideretur,non ſemper rubea erit, & ea quæ puri ſanguinis maiorem copiam in venis ſubeſſe demonſtret, ſed modo alba, modo citrina, modo variis coloribus diſtincta. Attamen quis ſanus eiuſmodi ſani hominis ſanguinem putridum & abſolute corruptum dixerit? Nemo opinor. Venæ quidem magnam ſucci ſuos fines egredietis copiam ſine febre continere poſſunt, auctore Galeno libro ſecundo de differentiis febrium, capite primo:at putredinem ſine febre non poſſunt. *Gale.11.metho.* Si enim calore natiuo ſanguis, quo integer permanet, deſtituatur, eum, *qui contra naturam eſt,* febrium auctorem,admittat neceſſe eſt. *Ergo ſanguinem* eiuſmodi in ſuperficie varium exiſtentem & apparẽtem, potius cacochymiam, quam putredi-

*Detractus ſanguis in ſuperficie varii coloris exſiſtens nõ putrefactionẽ, ſed cacochymiam indicat.*

putredinem venarum ſignificare certum eſt. Hoc autem cum non ſatis eſſet notum noſtris hæmatothraſibus, humores illos, quos corruptos putauerant, amoliendos & longe ab ægris amandandos ex ſua conſuetudine cenſuerunt. Noſtræ autem erunt partes, ni in iiſdem erroribus verſari velimus, hac in re Galeni vti conſilio, qui in morbis, in quibus largam requirit euacuationem, *eam ita partiri iubet*, vt prima detractio moderata ſit, alteram vt facilius æger perferre queat. Hic enim moderata ſanguinis miſſione dum vtemur, videbimus reſiſtendum ne fuerit, an vlterius progrediendum. Atque ita ex albicante colore, crudis venas ſuccis abundare edocti, ſatius eſſe putamus reliquum operis, naturæ, inediæ, frictionibus, attenuantibus medicamentis committere, quam contra doctrinam Hippocratis & Galeni in ęgrorum perniciem vacuationi crudorum humorum indulgere. Igitur color ille albus & pituitoſus, quo noſtri tãtam, quantum voluerint, ſanguinis extrahẽdi licentiã ſibi dari putãt, illud ipſum eſt, qđ

*Lib. 4. de ſanitate tuenda.*

nos iure retinere debet. Non quod omnis in hoc caſu vacuatio improbetur, quæ nonnunquam hic quoque vtilis, dummodo moderata, eſſe ſolet: tum vt natura, aliqua ſui oneris parte hac ratione detracta, ſubleuetur, tum etiam vt pituitoſa cerebri, inteſtinorum, ventriculi, hypochondriorum *a crudis illis* ſuccis prodeũtia excrementa, opportuna purgatione demum tollantur. Crudæ enim materiæ nonnihil morbi initio ſi detractum ſit, non ita periculoſus morbi exitus ſolet eſſe. Neque enim ſemper concoctionem res exſpectat *ait Celſus.* Concedi quidem imperitæ multitudini poteſt, vt ſola ſuſq; deque habeat omnia, & de his rebus inconſulte ſtatuat. Sed cum tanta vis ſit erroris iam inuadẽtis in populum, vt etiam medicos quoſdam ſecum rapiat, & de ſententia deducat, quis nõ ferat indigne, ita indigne agi cum ægris? Cæterũ quid calamitoſius, quam quod in re tam miſera & digna lacrymis, riſum quanuis conſtans tenere non queas? Nam dum ita miſere in cacochymia ſanguis profunditur, etſi emittat æger prope vitales omnes ſpiritus

*Galen. lib. de vena ſectione.*

*Lib. 2. ca. 10.*

ritus cum ſanguine, atque ſit ita debilis, vt parum diſtet a mortuo: tamen hæmatothraſcon medicorum geſtus contemplari, eorumq; videre audaciam operæ pretium eſt. Hi etiã frequenti humerorum motatione & mutua manuum frictione hilaritatem quandam præ ſe ferunt, ſibique ipſis gratulantur, quod ita belle ægrorum ſaluti proſpexerint, ægrotum ſecurum eſſe iubentes, quod a tam doctis medicis illius curatio ſuſcepta ſit. Adſunt adhæc imperiti chirurgi, qui dum ad medicorum arbitrium totos ſe fingunt & accomodant, priuatis commodis inſeruiunt, & dominorum potius quam rationis auctoritate mouentur, non ſolum pedibus in eorum eunt ſententiam, ſed etiam eadem manuum frictione manibus, ne quid quod a medicis factum eſt medicorum ſimiæ non factitent, vt non ſit mirum, ſi errorum plena hæc opinio ita penitus in multorum, etiam pleriſque aliis in rebus eruditorum, animis inſederit, vt ſi quis quid contrarium tueatur, pro ridiculo habeant, putentque paradoxum eſſe, ſi quid contra audiant.

*Plethoricis ſanguinis miſſio cõuenit, non cacochymis.*

Quæ quam abſurda & ab omni ratione aliena ſit opinio, age attentius conſideremus. *Diximus plethoricos*, & eos qui boni ſanguinis copia abundant, vacuari ſanguinis miſſione, maiori commodo & periculo minori. Commodo quidem maiori, quia, qui abundat in plethoricis ſanguis, ſi ilico & magna copia detrahatur, multis & exitialibus morbis liberat, quos interim vitare nulla conuenientiori ratione queas. Minori autem cum periculo, quia, ſi in detractione ſanguinis erres. ſi maiori copia quam morbus poſtulat ſanguis fluxerit, ſitque bis, ter, quater, adde etiam ſi lubet, quinquies, vel inconſiderate ſanguinis miſſio repetita, non propterea magnum ſubibit periculum æger: quandoquidem natura plethorica cum ſit, facile pro deperdito alium generare, & damnum inde contractum minimo negotio ſarcire poterit. Adde quod æger ea tantum ſanguinis parte priuatus, qua abundat, eo minus inde incommodi percipiat, quo plus boni ſucci venæ continebunt. Nam vt, ſi e magno pecuniæ aceruo, parum quid ſubduxeris, vix quod de ſum-

de ſumma deceſſerit percipies: ita ſi e magna ſanguinis copia quandam ſubtraxeris, ſi detrimentum inferat, non magnum vtique futurum id ſit. Etenim vt cacochymi ſunt parum ad boni ſanguinis procreationem habiles, quippe hepate, ventriculo & partibus hypochondria circunſtantibus infirmis: Sic plethorici ſunt eo hepate, hac naturalium partium facultate, vt facile eis ſit alium ſanguinem in effuſi & deperditi locum ſubſtituere. Ergo in plethoricis (: quanuis ab officio medicum diſcedere nunquam oporteat:) ſi accidat errare eos in detractione copioſioris multo ſanguinis quam par ſit, non magnum inde ægri detrimentum capient. Non enim tam procul a via deceſſeris, in eam vt non facilis ſit tibi reditus: præſertim cum tibi res ſit cum illis, quibus malum inde contractum non magnum detrimentum afferat. Perfacile enim erit illis huic malo mederi, & in tanta partium bonitate, ex quolibet chylo magnam boni ſanguinis copiam proferre. *Quod idem* in cacochymis non contingit, a quibus ſi vel tantillum puri ſan-

*In cacochymia ſi quid puri ſanguinis detrahatur, valde nocet.*

guinis detraxeris, non fiet id in rem eorum. Bilioſi enim ſi fuerint, bilis effrænata aut nullo coercita fræno ſanguineo, modo in hanc, modo in illam partem violento feretur impetu. Qui ſolus humor dum redundans & proxima quæq; vaſtans, nullis continet ſe finibus, ſatis arguit, quo in diſcrimine verſentur ii, qui in cacochymia per venæ ſectionem, vtili & neceſſario ad bilem coercendam fræno ſpoliantur. Neque enim dubitat quiſquam (quando aperta vena humores omnes promiſcue effluunt) quin purus etiam ſanguis, qui reliquos alios regit, & præſertim bilis impetum frænat, ſimul cum ſuperfluis ſanguineis humoribus pereat. Sed hic fortaſſe dicet aliquis, concedere ſe, purum ſanguinem ſimul cum corrupto emanare, neque tamē propterea inde effici, vt bilis, plus quam antea, in furorem agatur. Quandoquidem vacuata ſimul cum ſanguine, quod eius cum reliquis ſuccis eſt in venis reliquum, eadem, qua prius, proportione cum illis, ſit in vaſis oportet. Si enim de quantitate puri ſanguinis detractum aliquid ſit, de bilis

bilis quoque quantitate par portio etiam deceſſerit, vt plus virium, quam antea, non habeat bilis, neque minus roboris ſanguis, quo eam moderetur & coerceat. Reſpondeo concedere me Galeni illud, vena ſecta promiſcue humores omnes fluere, ſed addo, ſanguineum ſuccum nō tantum eſſe frænum bilis eius, quæ in venis continetur, ſed etiam excrementitiæ illius, quæ in aliis corporis partibus condita, venæ ſectione vacuari cum puro ſanguine & aliis ſuccis non poteſt. Nam cum dicimus in ſanguine multum ineſſe caloris & humidi naturalis, id ad ſanguinem purum, non ad corruptum referimus, quo ablato, ſimul calor, dux & moderator naturalium noſtrarum functionum omnium, perit: vt non ſit mirum, ſi excrementa, quæ natiuus calor diſſipare debuerat, a nullo repreſſa, inſolenti demum abundantia erumpant. Exhauſto ſanguine (:ait Fernelius libro tertio methodi capite octauo:) impurus humor, quanuis ſede ſit derelictus, efferatur ferociuſque ſæuit: alias bilis flaua circum iecur, alias pituita in cerebro quaſi ſub-

ſultans detracto ſanguine deiectiſque viribus grauiora profert ſymptomata. Ergo cum minuitur venarum ſanguis, imminuitur, concedo, venarum bilis: ſed cum hæc, quæ in aliis partibus ineſt, tota nihilominus remaneat, & ſanguine imminuto accreſcat: non mirum eſt, ſi in corpore, bilioſum quicquid eſt, nullo aut certe debilitato fræno coërcitum, viribus integris ferociat.

COGNI-

# COGNITIO HVIVS DOCTRINÆ QVAM SIT VTILIS, ET QVAM PERNICIOSA ÆGRIS, TVRPIS MEDICIS eius ignoratio? Item non eſſe perfunctorie, ſed attentione ſumma quæ ad hanc cognitionem pertinent, peruestiganda.

## SECTIO QVARTA.

PORRO vt ad quartum & vltimum noſtræ diuiſionis membrum tandem veniamus: dicendum paucis de vtilitate doctrinæ huius, ea vt cognita & perſpecta, liceat colligere, quo in errore verſentur, qui eam negligunt. Vt autem colorum vis nunquam magis apparet, quam ex contrariorum oppoſitione: ſic quam periculoſum ſit ægris neſcire, quæ de venæ ſectione & purgatione dicta ſunt, neutiquam magis clarum & apertum eſſe poteſt, quam ex ignorationis doctrinæ hu-

ius incommodo. Iſta, etſi repugnantia: ita tamen implicita ſunt & cohærent, vt vnius ſplendor alterius tenebras & caliginem illuſtret. neque enim perceptionis huius vtilitatem oſtēdere poſſumus, quin via eadem apertum ſit omnibus, quam ſit illius ignoratio noxia. Cum ergo de doctrinæ huius vtilitate dicemus, ſimul illam negligere, exitioſum ægris oſtendemus. Vtilitas omnis, *ait Cicero*, ex adeptione alicuius commodi, vitationeque alicuius incommodi quæritur. At non parum profecerunt in ægrorum legitima curatione medici, qui hac inſtructi arte *norunt, quo tempore*, qua quātitate, & quibus miſſio ſanguinis, vt & etiam purgatio, conueniat. Cuius rei cognitio ægris non ſolum commoda & neceſſaria eſt, ſed etiam vt multa, in quæ alias inciderunt, incommoda vitēt, efficit. Nam duo illa venam ſcindere & purgare, ſuam habent vtilitatem, tempore & loco adhibita. Fatebuntur quidem omnes non ſemper purgandum: at fatebuntur etiam, opinor, non ſemper venæ ſectione curandum. Ergo cum purgatio interdum vtilis ſit ſine

*In partition. oratoriis.*

*Noſſe quo tē pore ægri purgari & curari ſanguinis miſſione debeant, eſt vtile & neceſſarium.*

ſit ſine venæ ſectione, interdum etiam venæ ſectio ſine purgatione, non eſt neceſſe ſemper vtrunque eodem tempore vſurpare. Ad hæc venam ſecare non ſemper eodem modo & menſura licet. Nam hos euacuare conducit liberalius, illos autem parcius, habita ratione morbi, ætatis, conſuetudinis, temporis, regionis: adde etiam, ſi lubet, venarum conſtitutionis. cadit enim in hanc conſiderationem venarum ſtructura. Nam ſi, *vt ait Galenus*, qui anguſtas poſſident venas, exigui ſunt ſanguinis: & contra, quibus latæ ſunt, iis copia ſanguinis ineſt: certum eſt licere plus detrahere ſanguinis ab eo, cui magna ſuppetit copia, quam ab altero, cui ea deficit.

*Lib. 2. de temper.*

*Venæ latæ abundantiam ſanguinis indicāt, & contra.*

Harum igitur omnium cordato medico diligens habenda ratio erit: quidam enim morbi hoc, alii alio modo curari habent. Qui morbus venæ ſectionem admittit, non feret idem commode purgationem: & contra. Atqui ſi fiat, quod morbo conſentaneum non fuerit, æger in certum periculum deueniet. Quocirca noſſe quando oporteat purgare, &

quando non, vtile & conuenientiſſimum ægris eſt. Quia non parum intereſt alterum pro altero vſurpare. In cacochymia ii, quibus, non adhibitis prius notatis cautionibus, detractus fuit ſanguis, in ſummum vitæ periculum deuenerunt, aut certe, vno leuati morbo, in grauius & deterius ſunt delapſi. Atque vtinam eius rei exempla non ita frequentia nobis ante oculos obuerſentur. Miſſione ſanguinis, vt antea diximus, non poteſt extrahi malus ſanguis, quin ilico etiam bonus fluat. Cui malo accedit & illud, quod ſimul cum ſanguine pretioſi illi vitales ſpiritus influentes dicti, in quibus proferendis & edendis non parum corporis facultates omnes laborant, medicorum errore diſperduntur & diſſipantur. Atque ita miſerrimus æger ab illis, ad quos cōfugit, quorum in eruditione, ſermoniſque & morum ſuauitate curas doloreſque deponere ſolet, turpiter proditur: eoſque videt ea ratione a ſe & afflicta ſua natura deficientes ad morbum transfugere, eiuſque partes ſi non malitioſe, at inconſiderate tueri. Delapſus in morbum æger, ſe ipſum

nihilomi-

nihilominus colligit,cogit medicos, vt,ſi fas ſit , eorum ope & conſilio morbum, præpotentem hoſtem, a ceruicibus ſuis auertat,& de eo expeditiorem conſequatur victoriã, atq; eius cauſa benigne quidem conſilium & operam ſuam vel vltro pollicetur medicus: attamẽ ſi demũ contra fidem datam viribus & armis ægrotũ ſpoliet,atq; iiſdem morbum muniat,quibus inermem & imparatũ ęgrum adoriatur,quis tam indignũ facinus ferendũ putet? q̃d,obſecro,tolerabilius hoc agit medicus,dum venam ſecat, cum propinãda purgatio eſt?& contra purgat, dum venæ ſectione vtendum fuit?at, ſi purgatio vel venæ ſectio nõ proſint, noceant oportet, nihil eſt tertium. Quare videndũ ſedulo, illis vt per opportune vtamur. Sed ne in deuia errantes deducamur,attente conſideremus oportet (:antequam quidquam alias de purgatione & venæ ſectione ſtatuamus :) quæ prius medicis accurate perſpecta eſſe debere de morbi genere, temporis & regionis temperatura, ægrotantis natura & conſuetudine ſæpius monuimus:ſine quorũ diligẽti cognitione &

ſcientia nihil quidquam in hac re conari laude dignum poſſumus. Quare ne pigeat nos antiquorum Galeni, Hippocratis, adde etiam ſi lubet, recentiorum quorundam veſtigiis inſiſtere, neq; ita ignauiam clypeo non ſatis firmo experientiæ noſtræ munitam velimus. Experientia enim, ne quis erret, tum demum eſt certa & ſtabilis cenſenda, cum a bonis principiis proficiſci potuit. Bonis dico, neque enim ex falſis principiis verum aliquid cōtingit inueniri. Gal. 3. de Cr. cap. 8. Conatur quis aliquid in medicina experiri, nō bene & fideliter iacto fundamento, ſi ſtatim ab ipſo limine errare cœperit, quanto plus itineris confecerit, tanto de via deceſſerit magis. Ideoque non progredi vltra illi foret ſatius, quam ſi in eo pergat itinere, per quod ad propoſitum ſcopum peruenire nequeat. Quare ad viæ initium redeuntes, pudeat nos, ſi ineptias & inanes cogitationes noſtras cum antiquorum & doctiſſimorum hominum præceptis conferendas putemus: ſi ab illorum ſententiis, non magnis adducti rationibus, vel tantillum deflectamus. Pudeat

deat ſi ſuauioribus frugibus abundantes, noſtris glandib⁹ pertinaciter vti velimus.

Sed vt ad vos, o hæmatothraſes, noſtra conuertatur oratio, parcite, obſecro, ſi idem vos facere dicam, quod quidam in Theologia faciunt, qui verbi Dei licet ſe profeſſores profiteantur, non verentur tamen ab eo longius recedere. Vos medicinam artem profitemini, cuius merito Hippocratem & Galenum auctores præcipuos agnoſcitis: & tamen illorum veſtigiis inſiſtere, præcepta de arte medendi ab illis tradita vſurpare parum ſtudioſe curatis, niſi quando illa ad ſtabiliendas veſtras ineptias facere putatis. Videmus Hippocratem in morbis parum cognitis non ſolum cunctatione vſum, ſed alios etiam ſuo exemplo idem vt facerent, monuiſſe. *Morbum* ſiquis non cognoſcat, ait, *Lib. de locis in homine.* medicamentum bibendum præbeat non forte: ſi leuior inde fiat, demonſtrata via eſt: ſi prius habeat, contraria ineunda ratio erit. Nam vt idem ait libro primo de morbis popularibus, vide in morbis vt iuues, non vt noceas. vtrumque id ſit, in morbis præcipue nobis non ſatis notis, vt

non eſt temere purgatio decernenda, ſic nec ſanguinis miſſio: ſed tentandũ paulatim primo, quid quiſq; ferat morbus, &, vt ajt ille, videndum quid valeant humeri, quid ferre recuſent. Hoc conſilio quicunque vſi fuerint medici, non erunt ex eorum numero, qui non ſine magno ægrotum damno, in eiuſdẽ morbi curatione ſæpius curãdi rationẽ prius initam immutare coguntur. Quod quidem aliunde ꝓficiſci non poteſt, quam a morbi & cauſæ ipſius ignoratione. In qua, ex Hippocratis conſilio, quieſcendũ potius eſt, quã ſi ex vno ignoto morbo curationis errore multos proferas. Quidam autem, ne quidquam ignorare videantur, ilico q̃cquid primo in mentem venerit, præſcribunt, atq; hoc modo ægrotantium vitam ſartam & tectam atq; ab omni incõmodo & detrimento illęſam integramque conſeruari volũt: cum nihilominus plerunq; ægrotantium conditionem multo quam antea deteriorẽ faciant. Si quis attentius, q̃ a Galeno de arte medica tot libris tradita ſunt, conſiderauerit, videbit quã multa in conſilium admittat incõmoda, antequam

quam quidq̃ de morborũ curatione ſtatuat: quam rationẽ habeat non ſolũ varietatis morborũ, ſed etiam regionis, ætatis, conſuetudinis, & aliarũ eiuſmodi rerum: quarum exemplũ exſtat in pleriſq; locis, ſic præſertim in primo libro de arte curatoria ad Glauconem: vbi multis oſtendit Galenus, quanto in diſcrimine verſati plerique ſint ægri, quod medici, eo, quo debuerant, loco iſta non habuiſſent. Imo eos omnes, quibus medici, neglecta temporum ratione, venam ſecare auſi fuerunt, periiſſe aſſerit. neq; id iniuria. Nam vt in febribus, quæ cum ſymptomatis accidunt, non prius febris ratio habetur, quam ſymptomatum, ſed moleſtiori & ei quod magis vrget, nõ neglecto tamen altero, occurrimus: ſic aëris ambientis ſiue calida ſiue frigida ſit intemperies, ægri temperatura, conſuetudo, corporis habitus, ſymptomatum vim eo etiam auctore cum obtineant, diligenter expendendum eſt, vtarisne in illis vacuatione, licet neceſſaria ſi ad morbum ſpectes: quæ niſi proportione, & ea, qua debet, moderatione adhibeatur, ſine periculo

vſurpari non poſſit. Siquidem eo ipſo loco affirmat, in eiuſmodi aëris conſtitutionibus vehementer calidis perperam vacuatos, ſyncope & reſolutione interiiſſe. In valde frigida autem, ſi ad refrigeratum aëris temperatura corporis habitum, acceſſionis frigidum initium cum miſſione ſanguinis, quæ etiam refrigerant, accedant, vix fieri poterit, vt, natiuo calore tot cauſarum concurſu edomito, priſtinæ valetudini æger vnquam reſtituatur. Habent etiam morbi ſua tempora, quæ vt varia ſunt, ita curationis methodum non eandem, ſed, pro multiplici eorum conditione, diuerſam requirunt. Neque enim in ſtatu aut declinatione ægris ea conueniunt, quæ in principio & augmento. In continuis febribus, quarum materia in venis maioribus ſolet coërceri, nullus eſt qui ſtatim initio, vel, ſi prius non licuerit, etiam in augmento, venæ ſectione vtendum non cenſeat. Quod ſi eodem remedio etiam in ſtatu, in quo integram humorum concoctionem natura moliri ſolet, idem tentet, quo minus ea conatus & motus ſuos expleat, prohi-

prohibebit. Etenim corruptos & morbum facientes humores,qui validis naturæ viribus ſecreti erant, denuo ſanguini permiſcebit, eumque hac concoctione purum importuna curandi ratione inquinabit. Ergo natura corruptos & a puris iam ſeiunctos humores expellere ſi cunctetur,tuque eius conatus iuuare volueris, non, vt prius, venæ ſectione, ſed conuenienti purgatione, vteris. Sic item de temperatura,conſtitutione & tolerantia ægri cenſendum, quorum omnium niſi etiam in vacuationibus ratio habeatur, non dubium eſt quin his ægri itemtidem lædantur. Vos autem his limitibus cо̄tineri nō vultis. Non enim fert amplitudo veſtra tam anguſtis ſpatiis cohiberi. Latu⁹, cōcedo, patet hæc veſtra doctrina. Febris eſt,venam tundito,ad vncias multas extrahito, eminentiorem ſcindito. Quis id non dicat facile? qua nam ad id percipiendum induſtria opus eſt? His breuibus præceptiunculis ſi ars tota medendi concludatur, futurum vtique eſt, quod ait Galenus, vt hac artis facilitate allecti ſutores,textores,fabri,barbitonſo-

I

res ſuis opificiis ſeruilibus relictis, ad hanc ſe ſacram profeſſionem conferant in humani generis perniciem. *Galenus* Theſſalum temeritatis inſimulabat, quod curriculo ſex tantum menſium traditurum ſe totam artem medicam profiteatur. Quid ſi hodie reuiuiſcat, nonne noſtrorum hæmatothraſcon induſtriam multo magis admirabitur & ſuſpiciet, qui in ea verſantur arte, in qua perdiſcenda ne ſemihoræ quidem ſpatio opus ſit? Quis non facile vel etiam vno memẽto diſcat, in omnibus nulla omnino excepta febrib⁹, in quibus potiſſimum vrina quodammodo tincta fuerit, extrahendum eſſe ſanguinem, vel ad multas vncias? Quis non eminentiorem ſcindendam? Quis non ex vulgi opinione ſentiat, eo plus ſanguinis educendum eſſe e venis, quo impurior in illis fuerit: & contra? Quis purgationis & venæ ſectionis regulas, quales ipſi norũt, non facilè percipiat? Sed febrium, morborum, naturæ ægrotantium, temporis, loci, conſtitutionis, cœli rationem habere, noſſe quando purgatio, quando ſanguinis miſſio conueniant, & vbi quis

*Lib.1.meth.*

mor-

morbus non ſe ſatis in conſpectum dat, ſcire cunctatione vti: vt contra, oblatam præcipitem occaſionem tenere, hoc opus, hic labor eſt. Quare in id ſtudium, medicinæ ſtudioſi, ſedulo incumbite: & quæ ad hanc perceptionem pertinent omnia, nocturna verſate manu, verſate diurna: in tenui labor eſt, at tenuis non gloria. ſi illuſtri ſua arte medicus proſtratos & afflictos ægros erigat, & adhibitis opportune remediis, prope iam nullos e faucibus mortis eripiat, illi honos non mediocris debebitur.

At, vt, quæ a nobis hacten⁹ dicta ſunt, ad vnā ſummā iam tandē referantur: duo humorum genera venas occupare diximus, eaq; e quatuor conſtare ſuccis, qui ſi ea, qua debent ꝑportione, ſimul augeantur, primum horum duorū genus, nempe purum, q̄ & plethora dicitur, cōſtituent. Si vero extra ſuam ꝑportionē egreſſi ſucci ſuis finib⁹ nō cohibeātur, alterum gen⁹ impurum, cacochymia nēpe, exſiſtit. hui⁹ autē vtriuſq; generis curatio, vt & aliorū omnium morborum, cōtrariis remediis ꝑficitur. Primum enim hoc genus, quod

æqualiter, id eſt, debita ſua ſeruata proportione, augeri ſolet, ſi repletione nimia vitioſum naturales functiones lædat, nullo conuenientiori remedio coërceri & reprimi poterit eo, quod per venæ ſectionem fieri ſolet. Nihil enim plenitudini cõtrarium magis eſt, quam id, quod eam exinanire & euacuare poteſt. Alteri vero (: ſi a proportione ſua recedens, vitioſam qualitatem & corporis actiones manifeſte interturbantem adſciſcat:) nullo cõuenientiori remedio obſiſtemus, quam ſi cauſam eius, id eſt, ſucci aut ſuccorum, extra proportionem ſuam, exceſſum tollamus. Porro cum ſucci omnes vno venarum complexu contineantur, puruſque ſanguis ſimul cum impuro eodem ſinu coërceatur: impurum venæ ſectione tollere, puro intacto, non poteris. Siquidem miſſione ſanguinis non vnus, ſed omnes promiſcue humores effluunt. Ergo huic malo contrarium remedium hoc erit, quod impurum ſuccum relicto vtili & neceſſario detrahet, cuiuſmodi eſt medicamentum purgans: quod quidem ſi conuenienter a cordato medico præſcribatur,

batur, illud e ſuccis educet ſolum quod noxium fuerit, vtili & neceſſario relicto. Neque enim ſanguinem purum, rarum, & pretioſum, in cacochymis præſertim, theſaurum, vitæque columen: & qui (, vt ait Galenus nono methodi :) vtilis eſt naturæ poſſeſſio, cum pituitoſis aut bilioſis vitioſis ſuccis extrahet: ſed, quod naturæ graue fuerit, aſſeruato vtili, deturbabit. Siquidem oportet (: ait Galenus eodem libro :) ſic eiuſmodi euacuationes fieri, vt, quod inutile ex ſanguine ipſi naturæ eſt, emittatur. Siquis igitur malo tantum ſucco venas liberare, purum autem reſeruare volet, ad purgationem cacochymiæ ſolum & vere contrarium remedium, nō ad venæ ſectionem, confugiat oportet. Neque tamen propterea omni venæ ſectione in cacochymia interdictum volumus, in qua plerunque ſanguinis miſſionem valde profuiſſe experienta teſtatur. non quod emendandæ cacochymiæ, venæ ſectioni facultas inſit, quod eſt purgationis ſolius munus: ſed illi ſatis eſt, ſi naturam parte eius oneris, quo a malis ſuccis opprimitur, ſubleuare poſſit, vt, quod

fuerit in venis reliquum, facilius edomat. Igitur in cacochymia ſanguinis miſſio vtilis eſt, non vt ſucci corrigantur, ſed vt, eorum abundantia ſublata, facilius regat natura quod reliquum fuerit. Item, vt per exinanitas venas medicamenti vis meet facilius, nullo impediente, & cætera eiuſmodi fiant, de quibus fuſius antea. Quocirca, cum plethoræ quidem venæ ſectio proprie, & per ſe, cacochymiæ autem per accidens conueniat: facile licet colligere in vtro horum copioſius, an parcius vſurpari debeat. Quod proprie hoc adiumentum expoſcit, non dubium eſt quin liberaliorem ſanguinis miſſionem poſtulet: aliud vero, cui raro & per accidens accommodatur, parciorem. Nam dum concedimus licere interdum huic venæ ſectioni aliquanto largius indulgere: tamen cum non niſi caute id faciendum dicimus, ea in cautione ſit aliquis delectus neceſſe eſt: nimirum vt liceat plus detrahere ſanguinis a robuſtioribus & valentioribus, quam infirmis & debilibus. At iure ii robuſtiores cenſendi ſunt, qui magis integra & incorrupta viſcera

habent,

habent, & qui idcirco plus ſanguinis & magis puri generare poſſunt, quique magis ſunt a cacochymia alieni. Itaque in athletico habitu, ait Hippocrates, in ſynochis febribus, in plethoricis liberalis venæ ſectio, vel ad animi vſque deliquium facta, conducit. Bilioſis vero, melancholicis & pituitoſis, & morbis a pura cacochymia nulla repletione comitata ortis; profuſa hæc venæ ſectio anceps & periculoſa ſolet eſſe. Quod ſi nihilominus morbi natura & magnitudo id auxilii genus requirat, partiendum erit, vt ex primæ detractionis vtilitate aut nocumento, repetendane ea ſit, quando, & qua quantitate, iudicemus. Ex quibus intelligas quam turpiter hallucinentur ii, qui ex vulgi opinione ſentiunt, eo minus ſanguinis detrahēdum, quo purior is fuerit: & contra, eo magis vacuationi ſanguinis indulgendū, quo impurior. Quaſi a puro ſanguine, plenitudinis auctore, nullum periculū creari poſſit; dum vires vel ſola plenitudo plerunq; deiicit, & obſtructione, q̃ illa parit, nō modo ſpiritū caloremq;

natiuum premit, verum etiam ſuffocat & ſtrangulat: vnde repentina & inopina mors conſequatur. quaſi etiam mala ſanguinis qualitas, nulla ratione alia, quam venæ ſectione curari poſſit. Qui igitur ea quæ ad hanc conſiderationem faciunt, nulla in perquirendo euacuationis modo diligentia adhibita, perpenderint, in grauia pericula ægros deducent. Quos etſi videantur interdum ad integram valetudinem hac curandi methodo perducere, non iuuant tamen, imo eorum conditionem, multo quam antea deteriorem, faciunt. Si quis enim attentius ab illis curatos ęgros conſiderauerit, manifeſto comperiet vno leuatos morbo, a pleriſque aliis, quos antea non ſenſerant, obſeſſos, de vita demum deceſſiſſe: aut certe vix vnquam integram valetudinem, ſenes aut infirmi præſertim ſi fuerint, recuperaſſe.

Hæc in eos, qui, quæ de legitima mittendi ſanguinis ratione a bonis auctorib⁹ tradita ſunt, negligenda putant, dicta ſint. Cordatis medicis de nobis querendi occaſionem dare, conſilium non fuit. Qui

igitur

igitur hæmatothraſcon opiniones tueri & nobis hoc nomine aduerſari voluerint, ſic habeant, me iſtorum hominum in omnes iniurioſorum odia nihili facere, qui omnium odiis & contumeliis vt exponantur digni ſunt: niſi tandem reſipiſcentes pareant rationi, & tantorum virorum tot ſeculorum memoria & conſenſu approbatorum auctoritati ex animo & vere cedant. Ita animati in poſterum ſi fuerint, iraſci & ſuccenſere, opinor, mihi deſinent: ſuos autem aculeos in hæmatothraſcas, audaces & temerarios in morbis ſanguinis profuſores emittent: eoſque tandem mecum, non quibus ſunt digni modis, tractabunt: ſed benigne & non grauate quæ ſciant oportet docebunt.

# EIVSDEM AVCTORIS FRANCISCO GALOETIO PRÆSIDI SEDANENSI ET LIBELLORVM SVPPLIcum Franciæ & Nauarræ regis magiſtro, pio & erudito viro de valetudine conſilium.

DOCTE ſane eruditus quidam medicus, proximis ſuperioribus diebus in cœtu multorum bonorum & doctorum virorum, hanc victus rationem, cui a teneris aſſueuerat dominus præſes damnandam contendebat. Ratio autem qua iſtud effici volebat, a fluxa & caduca corporis humani ſubſtantia deducebatur. de hac enim cum perpetuo aliquid decedat, ei vt aliud ſemper adiiciatur, quod deperditi vicem ſuppleat, oportet. Conſtant, aiebat, corpora noſtra tribus ſubſtantiis, ſolida, carnoſa, & ſpirituoſa. vnde inferebat ſolidam cibis, carnoſam potu, ſpirituoſam aëris reficien-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

dam eſſe. falli itaque eos qui ad ſanitatem conducere putant, ſi quis cibo aut potu parcius vel citra mediocritatem vtatur, hæc vt docte incepta ita tempus & attentionem maiorem (:ſi quidem ad exitum perducere diſputationem voluiſſet:) requirebant. igitur vt quæ ab eo incoata ſunt me dicente paulo clariora & apertiora fiant, velim ſic intelligas, hæc illius dicta non ita accipienda eſſe quaſi cibus ilico in nutritionem partium ſolidarum cedat, potus humidarum. Nihil autem in cibo eſſe quod ad humidas, in potu quod ad ſolidas pertineret. neque enim hanc illius ſententiam fuiſſe putandum eſt. Propoſitiones enim iſtę, ſolidæ ſubſtantiæ ſolidis, humidæ humidis nutriuntur, veræ ſunt, ſed inde ſi concludas, ergo cibus ſolida, potus humida reficit, falſum dixeris, vt patebit ex ſequentibus. Hæc igitur ab eo dicta, vt breuitate verborũ quodammodo inuoluta planius explicentur, repetenda ſunt paulo altius, quæ ad hanc perceptionem faciunt. Corpora noſtra cum variis ex cauſis ſunt in ꝑpetuo fluore, natura ad conſeruationem eorũ, quorum

rum ſecundum deum auctor eſt intenta, fecit vt viuentia omnia auiditate & appetentia ſumma ſimilium ducerētur, a quibus videlicet quicquid ſingulis momentis de corporibus decedit, idemtidem reſtituatur. Similia autem hæc naturæque familiaria cibo & potu ſuppeditari ſolēt. Ita tamen vt non prius his recreentur & reficiantur corpora, quam natura & cibum & potum in ſanguinem conuerterit. Cibus & potus, mandantur ſtomacho. hos ille auide amplectitur, ſuoque innato calore conficit, atque ita paulo momento concoctionem inmutat, vt neque cibum neque potum, ſi forte vomitione illos reddit, agnoſcas. His enim fit cremor quidam pulticulæ non valde diſpar, quem chylum dicimus. demum ventriculus, ſuo perfunctus officio e perfecta coctione, exſiſtentem chylum reſpuit, & dum ſe ad aliud opus accingit in inteſtina amandat: deſcendit ergo chylus primo in gracilia inteſtina, e quib⁹ venæ meſſaraicæ eam eius portionē, quæ procreationi ſanguinis idonea fuerit, ſecernūt, & in ſuos ſinus alliciunt, reliquū aliis craſſio-

craſſioribus inteſtinis ad excretionem permittentes. in his venis chylus fit non ſanguis, ſed ſanguinis rudimētum, quod demum in hepate, vera ſuccorum officina, in ſanguinem conuertitur pro ratione ciborum ingeſtorum virtutis ſtomachi, & hepatis probum & laudabilem. Hoc ſanguine exinanitæ partes ſuæ conſeruationis auidæ repleri cupiunt. Illæ enim quod in ſanguinea maſſa ſibi familiare & iucundum ſentiunt & appetunt. hoc autē iucundum & amicum quod ſimile, ſimilitudo quippe amicitiam, amicitia deſiderium & appetentiā, appetitus attractionē mouet, appetitum autem non ſenſus & cognitio, ſed penuria & indigentia eius, quod ſimile eſt & amicum, deſiderium ſtimulat. Tres igitur hæ prius memoratæ corporis partes, e ſanguine, quod ſibi tota ſubſtantia familiare eſt, proliciunt, ſolidæ vt oſſa, venæ, arteriæ, nerui, ligamenta, tendones, membranæ, denique ſpermaticæ partes omnes de ſanguinea maſſa id ſibi ſumunt, quod familiare & amicum eſt, & in ſuam ſubſtantiam conuertunt. Humidum autem primigenium

ſeu quod radicale dicunt,quod in ſanguine tenuiſſimum,ſubtiliſſimum,puriſſimum & olei cuiuſdam particeps, id ſibi vendicat & tribuit. Qui inde exſiſtit vapor, fit ſpirituum influentium materia, quæ naturali facultate, ſpirituum, hepatis,in hepate diutius elaborata,fit tandem ſpiritus naturalis. huius cum portionem ſibi neceſſariam retinuit, hepar ſuo munere perfunctus,reliquum ad cor per venam cauam ſimul cum ſanguine mittit. hoc cor excipit, fouet,conficit,elaborat, & in vitalem ætehreumq; ſpiritum vi innati ſibi ſpiritus immutat, eius retenta portione aliqua reliquum per ceruicis arterias in cerebrum transfert, ibi; vi, item ſpiritus cerebro ingeniti,fit ſpiritus æthereus animalis dictus. Tres autem hos nobiles ſpiritus, naturalem,vitalem & animalem e puriore ſanguinis portione in hepate genitos,medici influentes dicunt, id eſt vagos & errantes, quod per omne corpus, ad reficiendos ſpiritus ſingulis partibus ingenitos ferantur. Illi enim inſitos & innatos omnium partium ſpiritus virtute ſua naturali reſtituunt, iis vitam

motum & ſenſum vi ſua vitali, & animali tribuunt. Videmus igitur vt natura quod é corporum ſubſtantia effluit, reſtituat, quoque artificio Deus per cibum & potum tantum bonum animalibus impertiat. Ideoque prouidendum, iis vt ſanctè vtamur: atque ita fiet vt in harum vſu rationis fines non egrediamur. Attamen quoniam hic modum tenere difficile eſt: tamen cibi & potiſſimum potionis vſum liberaliorem, parciori pauciorem eſſe, Hippocratis auctoritate freti, conſtanter

*Aph. 5. Lib. 1.* aſſeueramus. Sic enim ait Hippoc. in tenui victu peccant ægri, quo fit vt magis lædantur, ſi quidem quoduis peccatum grauius hic, quam in paulo pleniore ſolet eſſe. eadem de cauſa ſanis etiam valde tenuis & exquiſita victus ratio parum tuta, quia errata grauius ferunt. huius Hippocratis ſententiæ veritas experientia comprobatur. duo enim ægrotent, vnus qui parcius & tenuius vixerit, alter qui lautius, quorum propterea vnus plenitudine laboret, alter neceſſariorum defectu. vtrius cedo curam difficiliorem futuram ſperas? reſpondebis ſat ſcio eius, cui aliquid

derit

deerit & vere. Nam cum ex eodem Hippocrate certũ ſit, naturas eſſe morborum curatrices, medicis in eo munere duo tãtum relinquentur, nempe vt ſi quid ſit, quod naturam in ſanitatis reſtitutione interturbet, tollant plenitudinem ſanguinis miſſione, cacochymiam purgatione, quod facile & minimo negotio conſequentur. At ægrotis ea addere, quibus collapſas vires erigant, quibus quod deeſt adiiciãt, hoc opus pauci reperiuntur, qui id queant efficere. Etenim hic prope eadem ratio eſt, atq; in cõuulſione quam Gal. curationem recipere ait, a repletione ſi fuerit, ab inanitione vero nunquam. nam qua alia ratione recreabis ægrorum vires, quam cibo & potu? At quomodo ægrorum ſtomachus, nauſeabundus, debilis, languidus ea, a quibus abhorreat, & quæ ne guſtare quidem poteſt concoquat, & partibus corporis recreandis idonea reddat? Ne ſit igitur mirum, ſi cum Hippocrate concludo, illos male ſuæ valetudini conſulere, qui cibo & potu minus quam par ſit vtuntur, quibus duobus parcere, licet ſit periculoſum: tamen po-

*Hipp. ſec. 5. lib. 6. de morbis popula.*

*In aph. 1. Lib. 1.*

tui parcere, ſenibus præſertim pernicioſius eſt. Nam cum eorum natiuus calor, indies minuatur, fit vtique vt ventriculus,& hepar ſolito frigidiores, min⁹ appetant cibos & plus laborent in eorum concoctione. Ea de cauſa dum ſolitam ciborum quantitatem minuere ſenes coguntur,bene ſibi conſuluerint, hanc ſi cibi paucitatem potionis vſu ſolito liberaliore compenſent, præſertim vini, quod vt facile in ſanguinem mutatur, ita ſubito vires collapſas recreat, & naturali ſtomachi & hepatis calori ſuum adiungens calorem, ciborum concoctionem iuuat. Adfert igitur duo commoda vinum ſenibus.nam & ſubito, quod de corporis ſubſtantia fluxit reparat, & ſuo aduentitio,& externo calore innatum ventriculi,& hepatis calorem adaugens,vt cibi facilius coquantur, & chylus & ſanguis fiant,efficit. itaque ſi noſtro paulatim marceſcente calore, quid ſit detrahendum, de his quæ natura nobis conceſſit ad ſanguinis generationem,detrahamus potius de cibo,quam de potu optimi vini & naturæ noſtræ conuenientis & idonei. Tamen

men quoniam hæc in gratiã domini præſidis ſcripta ſunt, atq; hic de immutanda ea victus ratione, cui ab ineunte ætate aſſueuit, agitur, videndum id vt conſiderate fiat. Neque enim eſt, quod arbitremur nobis licere ab vno extremo, ad aliud ſubito, & non per media peruenire. Nam vt ab infimo ſcalæ ad ſupremum non aſcendimus, niſi per gradus intermedios, ita ne putemus nobis a conſueto victus genere ad aliud repente transeundum. Etenim vt dandum aliquid ætati ſenili concedimus, ſic habendam eſſe conſuetudinis tam diuturnæ rationem contendimus. Si quidem ex Hippocrate, notum eſt conſueta, etiam ſi deteriora fuerint inſuetis, minus moleſta eſſe ſolere. Paulatim ergo longaque conſuetudine aſſueta, vt relinquat, conſulimus, non vt ex ſobrio vinolentus, ex temperato intemperatus fiat. (:neq; enim id obtinere, ab eo facile fuerit:) Sed cumulate ſatisfactum nobis erit, ſi ea religione, & cura qua antea, potui parcere deſinat, liberalioremque potius, quam ita parcum vini vſum ſuæ valetudini conducere exiſtimet.

*Aph. 50. Lib. 2.*



BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE